

CANCELL.
MARTIS B.
1716.



IX. B. v. 190


57.


~~257~~

~~XXVIII. 9. a~~

Sammlung 4







- i. De remanplius integra.
- ii. De vera pietate iuridica.
- iii. De eo, quod ipse non habens alteri dare potest.
- iv. De iure prohibendi extructionem fortalitiuorum.
- v. De Capitulationibus bellicis.
- vi. De immunitate non excusante.
- vii. De mercibus illicitis.
- viii. De pecunia praesidii causa repofita. Notis Henig.
- ix. De pecunia lustrica. Gedulten grol.
- x. De gemellis concretis.
- xi. De inventionis premio.
- xii. De fraternitate compotatoria den In Dymans²
Conduy last.
- xiii. De sumtibus itineris den Krijs Rosten.

XIV. de collisione navium, *non enim ultra Regolung.*
In diff.

XV. de iuris prudentia Pauli Apostoli.

XVI. de fide iuridica.

XVII. de titulorum et commendarum convenientia.

XVIII. de fide vicaria.

XIX. de vicofuctu dnis in principatu.

XX. de Successione Hispanica.

XXI. de manufacturis.

XXII. de iudicio morum.

2. D. B. V. 15

DISSERTATIONEM

DE

FIDE JURIDICA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE, &c. &c. &c.

SUB PRÆSIDIO
DN. CHRISTIANI THOMASII, Jcti,
CONSILIAR. ELECT. BRANDENB.
ET PROF. PUBL.

publico eruditorum examini subjecit

MATTHÆUS LUPIN,

Memminga-Suevus,

d. 2. Dec. Ann. MDCXCIX.

H. L. Q. C.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS VIDUÆ CHRISTOPHORI SALFELDII,
A.O.R. MDCXCIV.



DISSERTATIONEM

DE

PHILOSOPHIA

LECTORE MAGNifico

ARTIS MAGISTRO

DR. THEODORO WILHELMO

RECTORIS UNIVERSITATIS

ALMA MATERIS

HALENSIS

DR. CHRISTIANO THOMASIO

PHILOSOPHIAE

LECTURE

PROFESSORE

PHILOSOPHIAE

ARTIS

MAGISTRO

ARTIS

PHILOSOPHIAE

LITTERARUM CHRISTOPHORI SALFELDII

A. O. R. MDLXXIV





B. C. D.


Dissertatio de Fide Juridica,

CAP. I.

De

FIDE IN GENERE.

§. I.



Inter varias causas, cur per tot secula tantæ & tam graves controversiæ de fide, plerumque modo turbulentissimo agitæ fuerint, & adhuc animis, ira, invidia & vindicta repletis agitentur, etiam illa ex præcipuis esse videtur, quod fidei vox plurimis significatibus obnoxia ab illis, qui de fide quid literis prodiderunt, non satis accurate ab æquivocatione fuerit liberata, sed plerique vel rem illotis, quod ajunt, manibus aggressi de varietate significationum istarum plane non fuerint solliciti, vel superfunctorie saltem & notatis generaliter aliquot vocis acceptionibus parum ad rem ipsam momenti afferentibus, tractaverint, potissimum vero fidem quæ cordis opus est, cum fide speculationum, aut fidem Historicam, cum fide Juridica miscuerint, & cum harum singulæ diversas regulas observent, istas inter se satis aperte confuderint, atque sic rem in se satis obscuram, explanationibus suis ac disputationibus obscuriorem reddiderint. Neque Jure Consultos hic excipio, utpote qui modo memoratas fidei differentias nec ipsi, quoties de fide Juridica aut Historica quid scribendum fuit, observarunt. Quare nobis ante omnium tentandum erit, ut istos scopulos pro viribus evitemus, & quamvis operam daturi simus, ut

Materia difficultas & fidei ambiguitas.

A 2

distin-

distinctissime hic procedamus, veniam tamen facile speramus ab æquis lectoribus, si in hac materia difficili, nemine, quod sciamus, præeunte forte erraverimus.

*Fides proprie
de homine
dicitur, &
ejus anima.*

§. 2. Id inter omnes facile constare arbitramur, fidem, etsi improprie (ut omnes fere affectiones animæ humanæ) etiam de bestiis prædicetur, ut quando rerum naturalium scriptores multa de fide canum commemorare solent; proprie tamen de solo homine dici, & quamvis fides de toto homine prædicetur, qui & ipse fidelis inde, item homo bonæ ac malæ fidei &c. dicitur, nullum tamen restat dubium, quod fides non afficiat hominis corpus, aut ejus membra, sed quod denotet affectionem animi humani immaterialis & invisibilis.

*Ergo non pro-
prie de Deo.*

§. 3. Scimus equidem, quod Fides etiam inter prædicata DEI reperiatur, cujus fidelitatem & sacræ literæ inculcant, & de qua neque sana philosophia dubitare permittit. Sed nihil mutamus. Etenim jam alibi ostendit Dominus Præses, nihil, quod de creaturis proprie prædicatur, de Deo simili modo prædicari, cum repugnet enti infinito, ut in quacunque propositione de eo quid affirmetur, quod definiri possit, adeoque finitum sit. Unde sicuti constat, prædicata Deo tributa, quæ a corpore, etiam humano sunt desumpta, ἀνθρώποπαθῶς h. e. improprie de Deo dici, ita & pari ratione prædicata omnia animæ humanæ ad Deum applicata non proprie h. e. non univoce & eodem sensu, uti de homine dicuntur, & qui definiri possit, (ita enim in Logicis univoca seu propria prædicata, quatenus impropriis & æquivocis opponuntur, describi solent) sed ἀνθρώποπαθῶς prædicantur.

*Respondetur
objectioni,
pias animas
hanc doctri-
nam horrere.*

§. 4. Observavimus tamen hac doctrina nonnullos offendi. Quibus uti facile indulgemus ut ingenio suo vel pro lubitu, vel pro conscientia utantur, modo similem licentiam nobis relinquunt, ita malle nonnemini istud non excidisse, quasi piæ animæ doctrinam nostram horreant. Optassemus ut piæ ejusmodi animæ vel ex recta ratione vel ex sacris literis quicquam, quo sententia nostra oppugnari possit, attulissent, neque in nudis contradictionis terminis mansissent. Jam cum istud quidem factum non sit, vix aliud possumus regerere, quam quod in seculo vivamus, ubi pietas partim aperte exulat & oppugnatur, partim

partim magno studio & affectatione excolitur ac ostenditur, rarissime vero deprehenditur, quia rarissimi sunt illi, qui & casti sunt, & humiles, & mansueti, & misericordes, & benefici &c. Uti vero fatemur, etiam imbecillium in fide a fratribus esse rationem habendam, ne scandalum illis detur, etiam in rebus alias indifferentibus; putamus tamen doctrinam istam de infinita Dei eminentia nullum prædicatum proprie sic dictum, quo essentiam ejus circumscribere aut concipere valeamus, admittente, cum maxima erga divinum numen veneratione, & humili agnitione imbecillitatis humanæ sic egregie convenire ut istæ animæ, qui horrorem ex hac doctrina sentiunt, causam habeant, scrutandi intima cordis proprii, ac videndi, annon seipsas in persuasione pietatis decipiant, & annon potius ad illas animas pertineant, de quibus loqui solent Domini Theologi in communi definitione scandali accepti.

§. 5. Caterum cum anima hominis inter alias functiones, *Fides sumi-* quas per totum hominis corpus exerit, duabus & præ reliquis *tur pro affe-* eminentibus gaudeat, intellectu & voluntate, quarum illa in *ctione vel in-* cerebro, hæc in corde humano operationes suas exercet, & alias *tellectus vel* utraque harum diversis plane affectionibus prædita sit, ex qui- *voluntatis.* bus diversæ etiam regulæ & axiomata formari solent; fides vero & pro affectione intellectus & pro affectione cordis sumatur; opera danda est, ut ista duplex fides probe inter se secernatur, cum ab accurata distinctione intellectus & voluntatis magna pars veræ sapientiæ dependeat, & vel egregius alias Cartesius, dum voluntatem in cerebro ponit, & affirmationes ac negationes omnium aliorum consensu attributa intellectus cogitantis, in principiis Philosophiæ suæ ad actiones voluntatis refert, exemplo suo docere potest, quam periculosum sit ei, qui naturas rerum inquirere satagit, multo magis autem illi, qui omnia naturæ phænomena & totius universi structuram demonstrare ex principiis suis promittit, si in notitia sui ipsius, & eorum, quæ omnes homines tam profunde & intime sentiunt, tam notabiliter aberrer & hallucinetur.

§. 6. Porro fides cordis nihil aliud est, quam fiducia, sive *Fides i. e. af-* in hac fiducia hominem ad se ipsum & actiones proprias referas, *fectio volun-*

tatis nihil aliud est quam fiducia.

five ad alios homines. Inde bona fide aliquid agere, fidere alicui, fidem habere. Et quia fiducia securitatem parit, hinc & sæpe apud Latinos bona fide agere ille dicitur, qui nimis confidenter, etsi cum summa negligentia aut impudentia etiam tale quid agit, quod non laudem, vel etiam plane reprehensionem merebatur, modo id sine astu & fallacia faciat, ac se injuste aut turpiter facere ignoret. Imo quamvis in istis locutionibus, fidem dare, fidem servare, fidei vox in alio significato accipi videatur, pro dictorum scilicet conventorumque veritate & constantia, sic dicta secundum Ciceronem *1. off. c. 7.* quia *Fiat* quod dictum est, revera tamen & istæ locutiones ad fiduciam referri possunt, cum is, qui fidem alteri dat, hac datione intendat fiduciam in ipso excitare, ut sibi fidem habeat, & per istam voluntatis circumstantiam, quæ servatione pactorum declaratur, simul fiducia alterius, cui quid promissimus, conservetur. Ciceronis autem derivatio, jam notantibus id Lexicographis (*vid. præprimis Excell. nostri Cellarii Fabricum hac voce,*) magis allusio Stoica est, quam vera etymologia.

Credeere & Fidere an synonyma sint? Fidelitas. Credulitas.

§. 7. Cæterum quemadmodum in idiomate vernaculo *trauen. und glauben* sæpe synonymice usurpantur, ita & in lingua latina fidere & credere fere idem significant. Non pigebit tamen hinc inde observare ubi synonymia ista fallat. Ita credere alicui, sæpe denotat fiduciam ponere in aliquo, seu fidere alicui, non tamen ista duo æque late patent. Cuicumque fido, credo, sed non omni, cui credo, fido. Similiter a voce fidere fides dicitur, item fidelitas & fidelis. At substantivum quod fidei respondeat *πίστις* credere non habemus. Fidelitati & fideli Grammatice quidem correspondent derivationes credulitatis & credulorum, sed moraliter magna inter ista est differentia, fidelitas ad virtutes pertinet, credulitas ad vitia seu nævos. De reliquis differentiis videbimus suo loco.

Fiducia tantum in corde est, non in cerebro.

§. 8. Vivimus vero iis temporibus, ubi ad stabiliendam veram sapientiam sæpe ob sapientes hujus seculi inculcari debent prolixius res alias certissimæ. Notavimus, neminem forte dubitare, quin fides cordis sit fiducia, sed deprehendimus multos dubitare, an omnis fiducia in corde sit, & annon etiam detur fiducia in intellectu. Putamus autem posterius esse falsum. Omnis fiducia est

est conjuncta cum certitudine. In intellectu vero nihil deprehendis, quam hæc tria: cogitationem certam, dubiam & probabilem. Cogitationes certas scimus, non credimus. Et quæ intellectu credimus, de iis intellectualiter certi non sumus. Porro omnis fiducia affectus est. Nullus autem affectus in cerebro est, uti nullus intellectus, quæ a voluntate distinguitur, est in corde.

§. 9. Unde sponte se exerit, communiter, etiam ab iis, qui maxime eam inculcare debeant, neglecta distinctio certitudinis duplicis cordis videlicet & intellectus. Ubi fiducia est, ibi certitudo cordis est, esset enim contradictio, si incertam fiduciam dicerem aut dubiam, (etsi de dubia fide tanquam voce latius patente res nobis non sit ignota,) Germanice *ein zweiffelhafft und ungewiß Vertrauen*. Sed quis vellet dicere, omni fiduciæ conjunctam esse certitudinem intellectus, seu scientificam? v. g. si credimus firmiter, nos amari ab amatis personis, necessario ipsis fidimus, & certam fiduciam habemus, quod ab iis amemur: sed si velimus illam certitudinem vel nobis vel aliis hominibus, rationibus necessario concludentibus, quales ad certitudinem intellectualem requiruntur, demonstrare, impossibile id foret. Unde necessario patet, multa dari, quæ intellectui nostro sint dubia aut certe saltem verosimilia, cordi tamen nostro certa. Hinc etiam dicere solemus, si de ejusmodi rebus amici nostri urgeant, rem demonstrari certis argumentis, præprimis de rebus futuris, de quibus rarissime rationes scientificas proferre possumus: Videbitis, me verum dixisse, & sentietis, nam cor meum me non fallit, aut: *Das Hertz sagt mir es / es wird gewiß geschehen*. Contra sæpe accidit, ut, etiamsi certitudo intellectus adsit, nulla tamen adsit certitudo cordis vel fiduciæ, v. g. illa certissima sunt, de quibus nullam dubitandi rationem habemus, quales sunt omnes sensationes vigilantium. At annon contingere potest, ut, dum videmus, hominem, quem mortuum fuisse credideramus, & cum eo colloquimur, & nullam rationem intellectus dubitandi nobis suppeditat, tamen præ affectu non fidamus oculis & sensibus nostris? Annon contingere potest, ut etsi videamus, eum quem odimus, nos ex tetro carcere aut a morte liberare, tamen nullam in hoc ejus facto ponamus fiduciam.

*Certitudo
duplex, cordis,
& intellectus.*

§. 10. Un-

*(Thomas mi-
nori gradu in-
credulus fuit
quam reliqui
ex undecim.)*

*Certitudo
Logica &
moralis.*

*Fiducia est
affectus amo-
ris. Tres fidu-
cia gradus.*

§. 10. Unde, quod obiter dicam, miror, cur Scripturæ sacræ interpretes communiter Thomam ut incredulum increpent, reliquos vero discipulos sine nota dimittant, cum tamen reliqui ex undecim majori incredulitate laboraverint. Statim credebat Thomas, quamprimum Christum viderat & tetigerat, reliqui etiam post visum & tactum obstupescabant & nondum credebant, donec Christus coram ipsis cibum caperet.

§. 11. Est vero certitudo cordis assensus firmus animæ nostræ in corde, ortus ex affectu amoris erga rem amatam. Et certitudo intellectus est assensio firma animæ nostræ in cerebro, orta ex sensationibus evidentibus, aut rationibus inde deductis, adversus quas nullas dubitandi rationes proferre possumus. Certitudinem intellectus informat & informare debet Logica genuina, certitudinem cordis sapientia moralis, unde & in posterum illam certitudinem Logicam dicemus, hanc moralem. Novimus equidem, terminos hos duplicis hujus certitudinis eruditus non esse infrequentes, non tamen observavimus, fontes hujus duplicitatis ab aliis esse notatos. Et in hoc sensu etiam possumus admittere suo modo doctrinam Cartesii, qua voluit, axioma suum de clara & distincta cognitione atque norma scientiæ, non adhibendum esse in rebus agendis. Multa enim in vita humana cum certa fiducia agere debemus quotidie, de quibus certitudinem intellectus non habemus. Nam ipsam speculationem Philosophiæ moralis qua in intellectu est, si non certioribus, saltem æque certis principiis niti debere, ac scientias mathematicas, contra Divum Aristotelem & Scholasticos non solum ostenderunt hætenus multi non Cartesiani, sed & ipsi Cartesii affectæ ex ejus principiis ejusmodi demonstrationes tentarunt.

§. 12. Omnis fiducia intuitu fidentis, effectus amoris est. Alios vel amamus vel odimus, vel nullo affectu erga eos movemur. Odium omne diffidentiam parit. Carentia odii supponit quidem & carentiam diffidentiam, sed & carentiam fiduciam. Quo majus odium vel amor est, eo major est diffidentia vel fiducia. Igitur sunt & gradus fiduciam, non tamen solum dependentes a gradibus amoris in fidente, sed & a copia aut defectu virium in eo cui fidimus. Quem amamus, eum regulariter credimus & nos amare,

amare, h. e. bene nobis velle, eumque voluntatem declaraturum esse signis variis. Non tamen omnis, qui bene nobis cupit, potest etiam nobis semper benefacere, vel quod ejus beneficiis non habemus opus, vel quod destituatur potentia nobis beneficia exhibendi. Infimus fiduciæ gradus est, si amicus potentia destituatur, unde nec fiduciæ nomine venire solet, eique magis credimus, quod nos amet, quam quod ei fidamus. Medius fiduciæ gradus est, si amicus possit nobis benefacere, sed ejus ope non indigemus. Maximus gradus est, si & opus habeamus amico, & possit indigentiam nostram sublevare, unde & fiduciam in eo ponere tum dicimur, quod de medio fiduciæ gradu dicere non solemus. Quod si quis potentia gaudeat nobis benefaciendi, sed voluntate destituatur, eum non amamus, sed odimus, & sic diffidentiam erga ipsum necessario in nobis sentimus.

§. 13. Ex dictis vero simul constat, de opposito fiduciæ diffidentia, quid sit & unde oriatur. Cæterum cum omnis virtus inter duo extrema sit in medio posita, habet & fiducia præter diffidentiam extremum alterum, quod credulitas appellatur. Est ergo credulitas nimia facilitas credendi, orta ex amore vago & inconstante; Diffidentia contra nimia difficultas fidendi aliis, orta ex odio plurium aut raro amore aliorum. Diffidentia plerumque constans animi affectus est. Credulitas contra ob inconstantiam causæ vagatur. Qui enim facile credit, ei facile diversa & contraria persuaderi possunt. Propterea tamen credulus, dum diversis temporibus modo hoc credit modo illud, non abit in incredulum. Incredulitas enim fere diffidentia comites est, aut ejus effectus, denotans statum hominis, quo quis difficulter aliorum dictis credit, sive eos mentiri putet, sive falsa dicere. Sumitur tamen incredulitas & diffidentia subinde in partem mediam, uti fiducia in partem sequiorem. Unde cum incredulitate non confundenda est infidelitas, cum hæc rem ab incredulitate diversissimam denotet, scilicet fidei datæ violationem & semper in malam partem accipitur. Thomas & reliqui undecim increduli erant, non infideles. Judas infidelis erat, eo ipso tamen non erat incredulus. Quare non convenienter fideles & infideles in idiomate nostro redduntur die Gläubigen und Ungläubigen/ quasi sermo esset de credentibus

dentibus & incredulis, sed potius dicere deberemus *die Treuen und Untreuen*. Unde vero communis hic error promanaverit, videbimus suo loco.

Quinam homines creduli quinam diffidentes, item infideles.

§. 14. Ceterum ex principiis doctrinæ moralis Dn. Præsidis facile ex passionibus dominantibus hominum cognosci potest, utrum ad credulitatem an ad diffidentiam, item fidelitatem aut infidelitatem proni sint. Voluptati immerfi maxime creduli sunt, ceterum nec fideles, nec infideles, sæpe tamen non fideles: Avari diffidentia & infidelitate laborant, fidem in manibus habentes, & spe præmii vel proximos prodentes: Ambitiosi nec creduli nec in omnibus diffidentes, magis tamen ad diffidentiam, quam credulitatem inclinant, ac, quamvis fidelitatem affectent, passio tamen eorum non admittit, ut firmam fiduciam quis in eorum fidelitate ponere possit. Hinc facile judicari potest, quantum credulitati voluptuosorum & diffidentia avarorum, ex mixtura cum aliis affectibus accedat vel decedat. Nec mireris, quod non simul ostenderimus, quibus hominibus fiducia aut fidelitas tribuenda sit, quia ex præfata doctrina constat, nullam virtutem veram in ullo homine deprehendi, simul vero ex eadem non difficulter monstrari potest, apud quos simulacra fiduciæ & fidelitatis deprehendantur, scilicet apud eos, quorum voluptas valde cum ambitione aut hæc cum illa mixta est. Post hos illi, qui avaritia pariter ac ambitione reguntur, etsi diffidentissimi sint, & per necessariam sequelam, maxime infidi, multis tamen & fidentes & fideles apparebunt.

Fiducia quantum ad verba amici pertineat.

§. 15. Diximus §. 12, quod fiducia credat alterum benevolentiam declaraturum quavis occasione variis signis. Sunt autem signa voluntatis nostræ vel facta vel verba. Utrisque fiducia excitatur, & quod verba attinet, homo fidem alteri habens credit ea esse vera, h. e. loquentem non dicere mendacium, sed verba convenire cum ejus mente. Utrum vero verba cum rebus significatis conveniant nec ne, h. e. an loquens Logice verum dicat nec ne, magis ad fidem intellectualem quam ad fiduciam cordis pertinet. Non diffitendum tamen est, quo major est præsumptio potentia & autoritatis in loquente cum præsumptione de ejus benevolentia conjuncta, eo facilius quoque alteri credere solemus,

mus, quod verba ejus non solum Ethice sed & Logice verum dicant. Et cui diffidemus, ejus verba si non pro mendacibus, saltem pro falsis habere solemus, nam jam alibi monstravit Dn. Præses, intellectus plerosque novos & virtutes a dispositione cordis pendere. Quare voluptuosi circa veritates Logicas sæpe nimis creduli sunt, avari contra nodum in scirpo quarunt, ambitiosi iterum in medio positi sunt, ad veritatem & invenendam & percipiendam quoad intellectum aptissimi, præprimis, si ambitio eorum voluptate temperetur, cum mox dicturi simus, plerasque veritates magis fidem quam scientiam requirere.

§. 16. Ergo jam de fidei altero significato videndum, quo pro affectione intellectus seu fide cerebri sumitur, quia intellectus solum in cerebro suas functiones exercet, quam tamen cave ne propterea cerebrinam appelles, cum fides intellectualis in suo ambitu considerata ab intellectu erroneo, & rite informato, cerebrinum vero illud dici soleat, quod nullum fundamentum extra intellectum habet quo nitatur. Solet tamen non incommode fides intellectualis tum cerebrina appellari, quando a falsis Doctoribus loco fidei cordis h. e. fidelitatis & fiducia substituitur, & hanc mentitur, quia tum revera istud figmentum nullam aliam originem agnoscit, quam cerebrum Pseudo-Doctorum.

Fides intellectualis. Fides cerebrina.

§. 17. Quid autem fides intellectualis sit haud difficulter cognoscemus ex ejus opposito. Opponuntur vero hic sibi fides & scientia. Scimus, quæ certo vera esse cognoscimus, reliqua verosimilia credimus. Unde scientia dicitur esse rerum necessariorum & certarum, fides rerum probabilium, quæ aliquando aliter se habere possunt. Quoniam tamen intellectus humanus multarum rerum ignorantia laborat, & apud singulos homines inæqualis rerum scientia deprehenditur, ita ut quod unus scit, alter ignoret, quod unus more scientifico demonstrare potest, alter solum ab aliis persuasus credat, ac præterea multi de rebus ad scientiam non pertinentibus scientias tamen crepent, inde nonnunquam inter se fides & scientia misceri solent, ut ea quæ credimus scire, quæ scimus credere dicamur.

Fides & scientia.

§. 18. Uti vero scientia a sensibus propriis, ita verisimilitudo

Fides Historica late sic dicitur.

do a sensibus alienis, per ea Dn. Praeses in Introductione sua ad Logicam docuit, initium capere solet, dum scilicet alii nobis referunt, quid viderint, audierint vel alio modo intra se senserint. Quare hoc respectu fides intellectualis in genere potest appellari fides historica late sic dicta, sic ut talis fides historica & fides intellectualis non raro usurpentur synonymice, potissimum quando utraque contradistinguitur fiducia aut fidei cordis.

Potissima differentia inter fiduciam & fidem intellectualem.

§. 19. Quamvis autem ex haecenus dictis jam facile possint plures comparationes inter fidem intellectualem & fiduciam institui, & exinde differentia utriusque distincte notari, nolumus tamen circa hoc caput prolixiores esse, sed ista duo saltem notasse sufficiat; 1. Fidem cordis certitudo necessario concomitatur (per dict §. 9.) fidem intellectualem concomitatur probabilitas certitudini opposita. 2. Fiducia fere includit fidem intellectualem, non autem fides intellectualis fiduciam, h. e. qui alteri fidit, etiam ordinariè credit ejus verba esse vera (*conf. §. 15.*) sed non vice versa, cujus verba pro veris habeo, ei etiam confido. Nam multi casus emergere possunt, ubi credimus inimicis, etsi iis diffidamus, si nimirum veritas illa non respiciat ea, quae nobis bona vel mala sunt, aut a nobis pro talibus habentur. Ratio utriusque in eo posita est, quod bonum vel malum, tanquam fiducia & diffidentia objectum includat etiam conceptum veritatis & falsitatis, saltem ex opinione nostra. Nam quod pro bono habemus, credimus esse verum bonum, & quod pro malo habemus, credimus verum malum aut falsum bonum. Sed non omnis conceptus veri & falsi infert etiam conceptum boni & mali. Breviter: Omne bonum verum esse debet, non omne verum bonum.

Consonantia doctrinae nostrae cum scriptura. Fides fiducia.

§. 20. Antequam vero in meditatione fidei intellectualis ulterius ad specialiora progrediamur, paucis prius perlustremus, utrum ea, quae hucusque de variis fidei acceptionibus ex usu Linguae Latinae & Philosophia observavimus, etiam conveniant cum SS. Literis. Ea enim Philosophia demum vera est, quae sacrae Scripturae convenit aut certe non repugnat. Ubi statim de fide fiducia notabilis est phrasıs *πιστεύειν εις Θεόν, εις Χριστόν*, credere in Deum, in Christum, pro credere Deo & Christo, quae extra novum Testamentum non facile reperitur alibi, & ne qui-

quidem apud LXX. ut vocant. Unde & ejus phrasis expositio genuina ex veteris Testamenti lingua Hebræa petenda est. Nam credere in Deum non est tantum fidem habere Deo (intellectualiter) quod etiam dæmonia faciunt, *Jacob. 2. v. 19.* Sed Deo confidere, fiduciam suam in Deo collocare, inniti Deo, acquiescere in Deo, tanquam in vita ac salute nostra omni sufficiente, *Deuter. 30. v. 20.* adherendo ei, nam illa est vita tua. Hinc fides hæc vivifica dicitur in novo testamento *πεποιθήσις*, fiducia, *πληροφορία*, *Rom. 4. v. 21. Col. 2. v. 2. παρρησία*, *Ephes. 3. v. 12. 1. Pet. 1. v. 13. 1. Joh. 5. v. 13. 14. ὑπόστασις*, *Hebr. 11. v. 1.* vid. *Georg. Paforis Lexicon voce πίστις*. Unde evidenter patet, vitam salvificam esse in corde non in cerebro, etiam clamantibus Lexicographis.

§. 21. Sed ne nostram hac in re fiduciam solum in Lexicographis ponamus, clarissima sunt eam in rem verba Pauli eo ipso in loco, ubi utilissimam controversiam de fide & bonis operibus tractat. *Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit a mortuis, servaberis.* Corde enim creditur ad justitiam, *ore autem confessio fit ad salutem.* Corde ait credi, non cerebro aut intellectu. Nam fidem intellectualem etiam dæmonia habent, non solum de Deo, *Jac. 2. v. 19.* sed & de Christo, quod sit sanctus Dei. *Marc. 1. v. 24. conf. supra §. 8. juncto tamen §. 19.*

Fiducia tantum in corde;

§. 22. Conveniunt etiam scripturæ ea, quæ de certitudine fiduciæ ejusque differentia hac parte a fide intellectualem supra docuimus §. 9. 11. & 19. Hinc illa *ὑπόστασις* fidei de qua Paulus ad *Hebr. XI. v. 1.* a Luthero redditur *eine gewisse Zuversicht*. Hinc idem Paulus ad *Rom. IV. v. 21.* de Abrahami fide prædicat certam seu plenam persuasionem *πληροφορίαν*, Deum quæ promiserat, posse etiam facere. (*Conf. §. 10. & 15.*) Et ipse Paulus certe persuasus est, neque angelos, neque Principatus, neque Potestates &c. neque ullam creaturam posse nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom. IIX. v. 38. 39.* Et alibi gloriatur, quod Evangelium ab ipso prædicatum constiterit apud auditores suos non in locutione duntaxat, (aut quod malim, & quod etiam suadet contextus, in ratiocinatione sola intellectus *ἐν λόγῳ μόνον*) sed etiam in virtute tum in Spiritu sancto, tum in certa persuasionem (cordis) *1. Thessal. 1. v. 1.*

Fidei certitudo, certitudo cordis.

*ἡ πίστις saepe
denotat infi-
delitatem non
incredulita-
tem.*

§. 23. Porro et si in scriptura novi federis distinctis vocibus diffidentia, incredulitas & infidelitas non soleat efferi, sed tria illa communi ἀπιστίας vocabulo denotentur, propterea tamen non est putandum, quod scriptura tollat differentes significationes vocum istarum. Potius officio boni interpretis incumbit, ut ex contextu vel aliis regulis bonæ interpretationis sensum genuinum eruat, & in idiomate latino & Germanico, in quibus credere & fidelem esse, item incredulum & infidelem esse & sic pari ratione glauben und treu seyn/nicht glauben und misstrauisch oder untreu seyn per dicta superius §. 13. non parum differunt, ista inter se non misceat. Ponamus, historicum quendam Græcum retulisse, quo pacto rex quidam potens rebelles suos subditos ob infidelitatem suam puniverit, & fidelibus præmia distribuerit, in illa vero relatione adhibuisse voces πίστις & ἀπιστίας item τῶν πιστῶν καὶ ἀπιστῶν. Quis æquo animo ferat, si interpret latinus hic adhibeat voces incredulitatis, item credentium & incredentium, aut interpres Germanus voces Glauben/ Unglauben/ Gläubige/ Ungläubige loco Treue/ Untreue &c. Non differit tamen possumus, inconvenientem ejusmodi versionem sæpius deprehendi etiam in translatione Lutheri nostri, quod non exprobro beati viri manibus, cum mox dicenda ostendent, eum hic peccasse non ex inscitia & ruditate, sed vitio communi etiam eruditissimorum istorum temporum, adeoque facile hic excusationem mereri, sed ideo saltem admoneo, ne nævos illos laudi ducamus, sed desinamus aliquando post tot Reformationis annos quasi studio vel Papizare, vel Ethnicizzare.

Emendatur

*versio Ger-
manica*

Marc. ult. v.

16. 2. Tim. II.

v. 13. Rom. ap.

XI. v. 23.

§. 24. Licebit adeo speciminis loco saltem unum & alterum textum emendare. Suppono ex dictis §. 20. & 21. fidem salvificam in scriptura non esse fidem intellectus sed fidem cordis seu fiduciam. Hinc vero necesse sequitur ἀπιστίας huic oppositam non esse incredulitatem sed diffidentiam. Hoc supposito locus Marc. ult. v. 16. ita cum emphasi reddendus erit: Fidens & baptizatus servabitur, infidelis vero condemnabitur. Wer vertrauet und getauft wird/wird errettet werden/wer aber misstrauisch oder untreu ist/wird verdammet werden. Et alter 2. Tim. 2. v. 13. Si infidi sumus, ille tamen fidus manet, uti & Erasmus reddidit, ac sic

ac sic forte alii Latini. Sind wir untreu/so bleibet er treu. Addamus & tertium locum *Rom. XI. v. 23.* Sed & illi, si non permanerint in infidelitate, inferentur, ubi iterum Erasmus rectissime, potissimum si respiciatur ad præcedentis capitis 10. v. ult. Toto die expandi manus meas ad populum *rebellem* & contradicentem. *Uber auch sie/ wenn sie nicht in ihrem Abfall oder Untreu verharren werden/ werden wieder eingespöpft werden/ ic.*

§. 25. *Credulitatis*, quod alterum extremum fiduciarum supra *Credulitas in Scr. rejicitur.* fecimus, mentio quidem disertæ, quod recordemur, non fit in doctrina novi fœderis, res ipsa tamen & quod creduli non debeamus esse, satis exprimitur, dum Paulus consulit, omnia prius explorare, & tum demum quæ bona sunt, retinere, *1. Theff. ult. v. 21.* dumque Johannes hortatur, ne cuius spiritui credamus, sed ut probemus spiritus, utrum ex Deo sint, id est, uti postea se explicat, utrum diligant alios, *1. Job. IV. 1. & 7.* tantum abest, ut scriptura unquam credulitatem non nisi præjudicio autoritatis humanæ aut educatione nixam approbaverit.

§. 26. Denique & fides intellectualis sæpius in sacris literis *Fides intellectualis seu* commemoratur, forte tamen non evidentius opponitur hæc *Equalis seu* fides fiduciarum cordis, quam apud Jacobum cap. 2. v. 19. *Tu credis, historica & Deum unum esse, recte facis, & dæmonia credunt,* (speculative sed non in scripturis cordicibus,) & horrescunt (horror enim & fides cordis sunt oppositæ fidei cordis sita.) *opponitur.* Etsi nullum sit dubium, diabolus de mysteriis habere fidem non saltem verosimilem, sed scientificam, aut certe scientiæ æquipollentem, dicit enim quod probe cognoscit, Christum esse sanctum illum Dei, *Marc. I. v. 24.* ubi egregiam quoque confessionem oris edit, sed infelicem tamen & insalutarem, quia scilicet ipsi deest fides cordis (*conf. supra. §. 21.*) & saltem fides ejus historica est, uti quoque communi consensu sic vocatur.

§. 27. Consensum hætenus memoratum scripturæ & rationis *Novus significatus Fidei* in discernenda fide cordis & intellectus insigniter turbant scriptores Ecclesiastici nova Fidei acceptione & novis phrasibus *pro formula* de fide inventis. Quod enim hætenus & latinitas & sacra *scripta. Ejus* litera ignoraverant, id illis temporibus, quibus sponsa Christi *origo & in-* sti, quæ perpetua virgo esse debebat, ex hominibus viros assum *equimoda.* sit & adultera facta est, & latinitati & sacra scripturæ superinductum.

Etum est, ut fides denotarit fidei formulam scripto comprehensam. Unde & scribere fidem dicebant. *Vide Excell. Cellarii nostri Thesaurum Fabro-Buchnerianum hac voce.* Occasionem & tempus & effectum hujus novi inventi graviter depingit Hilarius in libro ad Constantium. Summa eo redit. Præscriptione fidei fidem Evangelicam expirasse. Singulis annis novas fides scribi, veram exulare. Tot fides scribi quot sint voluntates: Unam debere esse fidem: ab hac unica vera fide descitum esse fide multiplicata, ac multiplicatam sustulisse unitatem, & cum unitate ipsam fidem: post Nicæni Conventus synodum nihil agi, quam quod fides scribentur, cum tamen nemo ad Christum pertineat: Scribi fidem, quasi fides non debeat esse in corde &c. *Conf. Arnoldi delineat. prim. Christ. l. 8. c. 20. §. 15. 16. seq.*

*Credulitas
pari ausu
jaclata pro
fide.*

§. 28. Iisdem Autoribus debemus, quod credulitas pro fide, & sic vitium pro virtute & usurpari & venditari cœperit. Cujus rei occasio forte sumpta ex illis Prudentii Apotheos. v. 547.

Vis tanta novella credulitatis inest.

Quamvis autem Poëtæ facilius excusantur, si ob metrum vocibus non exacte convenientibus utantur, res ipsa tamen haud dubie placuit clero, loco fidei Evangelicæ a grege suo cœcam fidem seu credulitatem postulante, ut istud synonymum invale-
ret & fidem mentiretur. Hinc postea etiam apud scriptores pios & de damno Josephi sollicitos tuto credulitas pro fide dicitur, ut apud Salvianum passim fit. Et utinam reliqui cum Salviano cum falso nomine rem veram retinuisent. Ita enim hic *lib. 3. de gubern. Dei p. 70. edit. Ritters: Quid igitur credulitas vel fides? Opinor fidelem hominem Christo credere, i. e. fidelem Deo esse, hoc est fideliter Dei mandata servare.* Et *lib. 4. init. p. 100. Cum ut diximus hoc sit hominis Christiani fides, fideliter Christi mandata servare, sit absque dubio, ut nec fidem habeat qui infidelis est, nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat, ac per hoc totum in id resolvitur, ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur.* Ita quidem Salvianus. Sed apud reliquos credulitas Christiana secundum ductum eorum, quæ modo ex Hilario excerptimus, & analogiam totius Historiæ Ecclesiasticæ, erat fideliter fidibus a Clero scriptis adherere, ea memoriæ mandare, dubia circa istas formulas orta
objecta

objecta autoritate scribentium more Pythagoreorum discipulorum repellere &c.

§. 29. Et ne putes, Doctores a reliquis reprobatos hunc errorem errasse, videamus, quid Chrysofostomus, de cujus orthodoxia nemo dubitat, docuerit. Is vero *homil. 1. in 1. ad Timoth. pri-* jam a Chrysmarium boni discipuli Christiani requisitum ponit credulitatem *ostomo in* Pythagoricam. *Qui discere cupit, obtemperare debet, non corruxari, Christianis credere non ratiocinari πιστεύειν, & συλλογίζεσθαι.* Si homini tantum munus introtribuerunt, & quidem prestigiatori ac mago, Pythagore inquam, ut ducta, ejus dogmatis simpliciter, & sine ulteriori inquisitione acquiescerent, usurpantes loco rationis suum illud: ipse dixit, quanto magis idem in Deo faciendum est nobis? Bene, Chrysofostome, si modo Deus unquam assensum ejusmodi cœcum a suis postulasset, si modo voluisset, ut vos Doctores prestigiatori illi & mago vos comparare deberetis. *Conf. Ritterhus. lect. sacr. lib. 6. cap. 14.*

§. 30. Uno vero absurdo admissio mox sequebantur plura. *Simul & novum fidei oppositum, rationem tamen* Cum enim formularum isti fidei Doctores omnia autoritate Pythagorica agerent, ac sic, uti contra rationem & scripturam novum fidei monstrum formaverant, ita & sapius in tollendis fidei rationem tamen liandam hanc ignorantiam fidei oppositum dederunt, quod iterum & scripturam & ratio & scriptura ignorat, ipsam videlicet rationem. Sæpe a Chrysofostomo eodem fidem & ratiocinationes sibi opponi pluribus exemplis docuit idem *Rittershus. lect. sacr. lib. 5. c. 3.* Cæterum utrum hic primus autor ejus oppositionis sit, an jam ab aliis hunc errorem acceperit, nostra parum interest. Sufficit id inventum maxime irrationale esse. Fides cordis ratione destituta impetus bestialis est: Fides salvifica maxime rationalis. Fides intellectualis regulas suas mox tradendas a ratione mutuatur, imo nihil aliud est, quam ratio verisimilis vel etiam certa. In scriptura vero nusquam Fides & Ratio, (λόγος) sibi opponuntur. Quin potius concordia rationis & fidei satis dilucide inculcatur, dum Paulus Romanis cultum divinum rationalem λογικόν commendat *Rom. XII. 1.* & Petrus ipsam doctrinam Christianam & Evangelicam appellat lac purum & rationale λογικόν. *1. Petr. 2. v. 2.* Scio equidem pro stabilienda ista erronea

C

oppo-

oppositione & fide cæca multa scripturæ loca in omnium ore esse. Sed scio etiam, ista loca omnia esse contorta nec probare quod probare debent. Unde ut nos in iis prolixè refutandis detineamus, non est opus.

*Fides rationi
opposita dete-
rior est dæ-
moniaca.*

§. 31. Non potuit vero non ex tot & tantis erroribus propullulare, ut ex fide Christiana cordis fieret solum fides intellectualis & historica seu uno verbo dæmoniaca. (vid. supra §. 18. 21. 26.) Imo, si dicendum quod res est, fides illa formularia, credulitas illa Pythagorica, fides ista rationi opposita adhuc peior est fide dæmoniaca, hæc enim rationalis est de rebus in quibus ratio & scriptura concordant, illa vero irrationalis, quia rationi opposita. Neque hoc pro nimis duro asserto habendum, si quis pensitet, quod Salvianus omnem fidem pure intellectualem fidei dæmoniæ postponat. Pulcherrimus ejus locus meretur, ut totus adscribatur. Ita vero *lib. 4. p. 104.* postquam verba Jacobi de fide dæmonum recitasset: *Nam quid erravit Apostolus; ut hominis Christiani fidem demoni compararet? Non utique, sed ostendere illud volens, quod supra dictum est, quia sine operibus bonis nil sibi per fidei supercilium usurpare deberet. Idcirco autem a demonibus Deum credi: Scilicet, ut sicut dæmones, cum Deum esse credunt, tamen in pervertitate perdurant, ita & quosdam homines quasi credulitatem dæmoniacam habere, qui cum se Deum credere asserant, tamen a malo opere non cessant. Subjungit autem ad pudorem & condemnationem hominum peccatorum, non credere solum dæmones Dei nomen, sed etiam timere & contremiscere: hoc est dicere: quid tibi blandiris o homo quisquis es, credulitate, quæ sine timore atque obsequio Dei nulla est? aliquid plus dæmones habent. Tu enim unam rem habes tantummodo, illi duas. Tu credulitatem habes, non habes timorem, illi & credulitatem habent pariter & timorem.*

*Vivificatio
fidei cordis
tributa fidei
formularia.*

§. 32. Porro potissima attributa fidei cordis fuere translata in fidem intellectualem, & formulariam, quod quis per formulas salutem accipiat, (conf. §. 20. & 21.) unde & ipsa doctrina secundum certas formulas jam ab illis temporibus fides unica ac salutaris dicta fuit, der allein seligmachende Glaube / & communis persuasio invaluit, nullam certiozem probationem inveniri posse de aliena salute, quam si ad mortem usque professus fuerit

fuerit formulam receptam, credulitatem Pythagoricam, fidem irrationalem seu rationi oppositam.

§. 33. Ergo putamus primarium momentum Papatus, quo *Fides formula prima- rium instru- mentum ty- rannidis pa- palis.* mediante summa tyrannis in animos hominum exercet, consistere in eo, quod totam scripturam corruperit, dum omnia ejus loca de fide cordis loquentia detorsit ad fidem aliquam membranaceam aut chartaceam, credulam, Pythagoricam, irrationalem, seu, ut alias appellare solemus, carbonariam. Cumque istud per excerpta superius ex Hilario jam sub Constantino factum sit, vel hoc argumentum sufficeret, si aliis destitueremur, sub Constantino M. Anti-Christum dominatum suum in orbe Christiano stabilivisse. *Vid. Arnold. delineat. prim. Christ. lib. 8. per integr. & jam ante eum Rittershus. Lect. Sacr. lib. 6. c. 17.* Utrum vero ex isto papatu nos, qui Evangelicos nos dicimus, jamdum simus liberati, alia quaestio est, de qua interim videri potest integra *Pars 2. Hist. Eccles. Arnoldi.* Quicquid hujus sit, non vitio vertendum Jcto aut Politico, si hic distinctionem juris publici, inter esse in territorio & de territorio, in praxin deducat, h. e. ut si forte in medio papatu adhuc vivat, non tamen sit de papatu, sed libertate Christiana utens fidei cordis studeat, & quotidie scrutetur in scripturis, relicta fide formularia formulariis, & credula credulis, & irrationali equis & mulis, & carbonaria carbonariis. Hi nigri sunt, hos tu Christiane caveto.

§. 34. His ita notatis, de fide intellectualem jam magis specialia observanda erunt. (*conf. §. 20. init.*) Diximus §. 17. fidem intellectualem, qua scientiae opponitur, esse rerum verisimilium. *Observatio- nes quaedam preparatoria ad divisionem fidei intellectu- alis, de comparatione veritatum certarum & verisimilium.* Quamvis autem jam omnia ista supponamus, quae Dn. Praeses de differentia inter veritates certas & verisimiles, tanquam doctrina maxime necessaria, quamvis vulgo neglecta, tradidit fuis in introductione ad Logicam, juvabit tamen ad naturam fidei intellectualis eo melius cognoscendam, & communes *veritatum certarum & verisimilium.* dos, aliquot observationes brevissimis positionibus includere.

1. Paucae sunt veritates certae. 2. Veritates certae sunt potius passionibus intellectus & axiomata inde orta, quam liberae ejus actiones. 3. Sensus nunquam fallunt, ratio sapissime, nulla vero

sapius, quam quæ putat, intellectum purum sensibus contradistinctum, veritates invenire posse. 4. Singularia certo cognosci possunt ab intellectu humano, universalia si non pleraque; saltem potissima sunt saltem verosimilia. Essentias enim omnes rerum ignoramus, etiam hominis ipsius, adeoque de nulla re evidentem & distinctam cognitionem habemus. 5. Ergo pleraque credimus, paucissima scimus, cum & communiter scientia dicatur esse debere rerum universalium, non singularium. 6. Ergo sapiens inter Sophistam Dogmaticum, scientias ubique crepantem & Scepticum, omnia saltem credentem in medio positus, huic propior est quam illi. 7. Philosophus Dogmaticus cujuscunque sectæ magis insanit, quam Scepticus. Scepticus in paucis aberrat, scilicet in istis, quæ certo sciri possunt, hæc vero pauca sunt. Dogmaticus vero plura scire se putat, quæ saltem credit, quia plurima ignorantur. Imo etiam ea quæ sciri possunt & quæ putat se scire revera non scit, sed credit, quia totus præjudicio autoritatis est immersus. Ergo ipse nescit, quid agat. 8. Sapiens in rebus universalibus fidem magis, quam scientiam quærit, certitudine singularium & cognitione immediate inde orta contentus. 9. Philosophia scientiam jactans turbas semper peperit & rixas. Credens Philosophia magis apta ad quietem. Ergo vel ex hoc capite fides magis apta sapienti quam scientia. 10. Quinimo ad vitam tranquille agendum non requiritur certitudo, sed verosimilitudo, seu veritas intuitu tranquillitatis civilis non in puncto consistit, sed latitudinem semper habet. Ita potest quis bonus civis & vir bonus esse quamcunque opinionem v. g. de proportionem diametri ad peripheriam, unius libræ erga alteram, de motu solis vel terræ, de definitione substantiæ & accidentis, de conceptu causæ moralis, & reliquarum causarum, & in genere de maxime controversis hypothesebus, Physicis, Moralibus, Medicis, Juridicis, & quæ perperam Theologicæ vocantur, foveat. 11. Ut in omnibus disciplinis dantur errores communes, ita & in omnibus dantur plures verosimilitudines, & paucissimæ ac valde simplices veritates certæ.

*Fides intelle-
ctualis Phi-*

§. 35. Fides igitur intellectualis est vel de rebus universalibus vel de singularibus. Illam vocabimus Philosophicam, hanc
Histo-

Historicam striete dictam. Fidei Philosophicæ tot sunt species, *lofophica &* quot sunt disciplinæ rationales. Ergo datur fides Metaphysica, *ejus multe* Logica, Physica, Ethica, Politica, Mathematica, Medica, Juridica, *species.* Theologica. Et hæc ul ima, quatenus Theologia Academica ad habitus intellectus humani viribus parabiles & præmiis promotionum Academicarum dignos refertur, iisdem regulis, nãvis, cautionibus est subjecta ac reliquæ species, adeoque hoc intuitu parum præcipui præ reliquis habet, nec salvificat.

§. 36. Declaramus rem exemplis: Ita fide *Metaphysica* quis *Exempla fi-* credit v. g. causam moralem influere in effectum tantum im- *dei Metaphy-* mediate, alius etiam mediate; hic credit causas efficientes *sica.* rerum, & finales esse externas, alius internas; hic credit spiritum esse ens cogitans, alius in genere ens agens; hic credit totum & partes esse attributa omnis entis, alter esse tantum attributa corporis; hic credit tot esse attributa entis eaque sic esse definienda; alter & de numero & definitione attributorum aliam fidem fovet, tertius forte credit, ea plane definiri non posse. Et in genere tot fere possunt exempla fidei Metaphysicæ afferri, quot sunt canones Metaphysici. Horum autem infiniti sunt, fluctuantes, incerti & multis limitationibus obnoxii.

§. 37. Ita fide *Logica* quis credit v. g. dari analogam media inter *Exempla fi-* univoca & æquivoca, & analogum terminum absolute positum *dei Logica.* sumi pro analogato nobilissimo, alius credit, nulla dari univoca, & analogum terminum sæpe sumi pro analogato ignobiliore; alius credit quinque esse prædicabilia, alius pauciora; alius proprium & accidens differre, alius non differre; alius decem esse prædicamenta, alius plura vel pauciora; alius credit, substantiam esse ens per se subsistens, alius credit ignorari, quid sit substantia; alius propositionem indefinitam æquipollere universali, alius particulari; alius tres esse figuras syllogisticas, alius plures; alius unam esse methodum vagam & arbitrariam, alius determinatam syntheticam vel analyticam, & ita in infinitum.

§. 38. Ita in *Physica* quis credit dari vacuum vel non dari; *Exempla fi-* alius credit, unam esse materiam, alius triplicem, crassam, subti- *dei Physica.* lem & subtilissimam; alius materiam credit esse infinitam, alius finitam, alius indefinitam; alius credit materiæ motum inesse, alius

alius non inesse; alius dari corpora inanimata, alius non dari; alius lucem esse substantiam, alius esse accidens; alius dari attractionem, alius non dari; alius credit hominem esse speciem infamam, alius non credit; alius credit intellectum agere in voluntatem, alius contrarium sibi persuadet, & sic in infinitum.

*Exempla fidei
dei Ethica.*

§. 39. Ita fide *Ethica* quis credit, dari quatuor virtutes, alius decem, alius unam; alius credit S.B. consistere in habitu virtutis, alius in actione, alius in tranquillitate animi; alius, affectus esse bonos, alius malos, alius indifferentes; alius credit dari actiones indifferentes, alius omnes esse bonas vel malas; alius credit dari liberum arbitrium, alius non credit; alius credit dari virtutes philosophicas, alius non credit; alius credit socialitatem, alius ordinem, alius convenientiam cum sanctitate divina, alius convenientiam cum statu integritatis esse fundamentum moralitatis, & ita in infinitum.

*Exempla fidei
dei Politica.*

§. 40. Ita fide *Politica* quis credit, Majestatem esse immediate a Deo, alius mediate; hic credit, originem Rerum publicarum esse ex impulsu mere naturali, alius ex metu, alius ex malitia hominum; hic credit, mixtam Rempublicam esse omnium optimam, alius esse omnium miserrimam; hic credit regnum electivum esse melius successivo, alius successivum electivo præfert, alius singulas formas habere sua commoda & incommoda; similis fides opposita est de præstantia Monarchiæ, Aristocratiæ, & Democratiæ; hic credit in libera Republica esse majestatem, alius credit contrarium; hic credit dari majestatem temporariam, alius contraria fide persuasus id negat; hic credit felicem esse Principem fines territorii multum augmentem, alius feliciorrem putat, qui territorium non ita amplum possidet, & nimiam amplitudinem ruinam imperiis magnis afferre sibi persuadet; hic credit accisiam, sit venia verbo, esse modum collectandi optimum, alius contraria fide imbutus manibus pedibusque repugnat, ne introducatur, & ita in infinitum.

*Exempla fidei
dei Mathematicæ.*

§. 41. Ita fide *Mathematica* alius credit, Mathesin esse scientiam scientiarum, ex qua peti possint demonstrationes omnium rerum; alius credit valde paucas dari certitudines Mathematicas, & multa ibi non solum credi, sed & falso credi; nec v. g. mathematicam rationem dari posse, cur globus major non transeat foramen

foramen minus; alius credit, Mathesin pertinere ad intellectum purum imaginationi contradistinctum, alius credit ne quidem dari intellectum ejusmodi purum; alius credit mathematicas abstractiones, quo subtiliores sint, eo magis prodesse ad inveniendam veritatem, alius credit tales subtilitates parum prodesse & sæpe officere inveniendæ veritati; alius credit quantitatem abstractam ab omni materia esse materialem, alius esse spiritualem, alius esse chimæram seu ens rationis; alius credit dari corpus mathematicum, alius nullum corpus præter Physicum agnoscit; alius credit fundamenta matheseos esse definitiones ideales; alius credit mathesin fundari in sensationibus æque ut alias disciplinas; alius credit ideam circuli & lineæ rectæ melius imaginatione, quam definitione concipi; alius credit punctum mathematicum definiri posse, alius non posse; alius credit definitionem lineæ rectæ, quam Euclides tradit, esse optimam, alius defendit definitionem Platonis, alius Procli, alius Archimedis; alius definitionem anguli, quam Euclides tradit, quod sit concursus duarum linearum rectarum in eodem puncto inclinatarum credit posse conciliari cum divisione anguli, alius credit hanc conciliationem esse impossibilem; alius credit, dari infinitum mathematicum, alius credit illud esse ignem frigidum; alius credit, Geometriam abstrahere etiam a possibili physico, alius credit ejusmodi abstractionem replere intellectum phantasiis irrationalibus; alius credit duas lineas rectas erga se inclinatas posse ad se appropinquare in infinitum sine contactu, alius credit hanc subtilitatem esse opus imaginationis valde corruptæ; alius credit lineam extremam circuli constare ex concavo & curvo, quod medium habet rectum, alius credit hoc esse delirium; alius credit, dari proportionem accuratam inter lineam rectam & curvam, & generationem linearum curvarum inveniri ac demonstrari posse, alius credit hoc esse impossibile, & sic in infinitum.

§. 42. Ita fide *Medica* quis credit, morbos curandos esse methodo Galenica, alius methodo Hypocrateæ, alius methodo Theophrastica, alius methodo mechanica, & sic in infinitum. Ita fide *Theologica* quis credit systema Theologicum sic esse formandum, alius

*Exempla fidei
Medicæ &
Theologicæ.*

alius aliter; alius credit, ita esse exponendum locum scripturæ, alius aliter; alius credit hanc esse veram & genuinam analogiam fidei, alius aliam; alius credit Formulam Concordiæ esse libellum a Deo inspiratum & optimum ad pacem Ecclesiasticam, alius credit esse libellum mere humanum perpetuas turbas in Politia & Ecclesia dantem &c. Exempla fidei *Juridica* videbimus in capite sequente.

*Differentia
fidei historica
strictè dictæ a
fide philoso-
phica.*

§. 43. Fides Historica strictè dicta (vid. §. 35.) non solum a fide philosophica differt, quod hæc versetur circa universalia, illa circa singularia, sed & in eo est differentia, quod fides historica versetur circa actiones humanas, vel quæ ut actiones humanæ concipiuntur, fides philosophica circa res omnes. Fides historica credit actiones humanas ita vel aliter aut plane non gestas esse, fides philosophica credit actiones has convenire cum principiis rectæ rationis vel non convenire. Fides Historica occupata est circa actiones hominum voluntarias vel invitas, fides philosophica agit de cogitationibus hominum, quatenus sapissime in omnibus disciplinis agitur de sensu scriptoris. Interpretatio vero est pars Logicæ maxime necessaria.

*Definitio fi-
dei historica.*

§. 44. Ergo fides historica est præsumptio veritatis de eo quod hominibus accidisse, vel ab iis gestum esse dicitur, orta ex conjecturis circumstantiarum, quæ non sæpe fallere solent, nullis tamen ab hominibus inventis aut præscriptis regulis adstricta, sed liberæ cujusvis ratiocinationi, a præjudiciis tamen vacuæ, relicta.

*Fides utraq;
intellectu-
certitudine
Logica desti-
tuitur.*

§. 45. Dico præsumptio veritatis: Omnis enim fides historica (ut & philosophica) parit verosimilitudinem saltem, & in hoc differt ab eo, quod ipsi vidimus, audivimus, fecimus, aut cujus connexionem necessariam cum aliquo principio certæ veritatis aliis evidenter ostendere possumus. Nec differentia hic est (nisi forte quoad gradum verosimilitudinis) inter fidem historiarum secularium & ecclesiasticarum. Nam & fides historica de Christo parit saltem verosimilitudinem intellectualem, neque adeo est salvifica, neque necessario requirit cooperationem Spiritus Sancti.

*Non tamen
certitudine
moralis.*

§. 46. Dantur tamen verosimilitudines, quæ in vita civili & intuitu voluntatis ac tranquillitatis animi (confer. §. 34. n. 10.) æquipollent moraliter tamdiu veritatibus Logice certis, quamdiu
non

non docetur contrarium. Quas inter & veritates certas ea est differentia, quod in veritatibus Logice certis plane impossibiles sint probationes in contrarium, in ejusmodi verosimilitudinibus probatio contrarii habeatur pro valde difficili. Moraliter autem fere æquipollent valde difficile & impossibile.

§. 47. Ergo si unquam, sane in fide historica pariter & phi-
 losophica certitudo moralis & logica confundenda haud sunt. Ad
 certitudinem moralem sufficiunt verosimilitudines Logicæ, ex
 mille tamen verosimilitudinibus Logicis non fit certitudo Logi-
 ca, aut ut alias vocari solet Mathematica, alias enim non essent
 verosimilitudines. Tolleretur omnis amicitia ac omne vincu-
 lum humani generis, si quis alteri non ante fidere, eumq; amare
 vellet, nisi postquam alter ipsi fiduciam & amorem suum demon-
 strativo quodam syllogismo, aut demonstratione Mathematica
 probaverit. Tenta quæso, qua ratione velis alteri amorem quem-
 vis mathematice demonstrare. Verba, risus, suspiria, oculorum
 inclinationes, dona, & omnia opera reliqua, quibus alteri bene-
 volentiam declaramus, signa moralia sunt, non medii termini, qui
 requisita demonstrationis Logicæ *ναῖα πᾶσι* &c. habeant, non
 axiomata mathematica, quibus adhibitis istas miræ efficaciz no-
 tas Q. E. D. adscribere possis. Nescio vero, quis majorem men-
 tis alienationem patiatur, utrum is, qui ad fiduciam requireret
 ab altero demonstrationem mathematicam, utrum is, qui in ma-
 teria morali tales demonstrationes promitteret & jactaret.

§. 48. Meretur tamen præcedens observatio eo cautiorem
 notam, quo major est ejus neglectus in praxi etiam inter illos, qui
 sapientia alios præcellere videri volunt. Sunt profecto, sunt
 cheu! plurima ingenia acuta & subtilia, qui prono impetu in A-
 theismum ruunt, dum de Deo & ejus essentia ac attributis, de ve-
 ritate Historiæ Sacræ, & Evangelii &c. demonstrationes Logicas
 & Mathematicas bona fide & anxie quærunt. Et horum forte
 tantus non esset numerus, si illi, qui Doctores Christiani, & Mi-
 nistri Christi esse volunt, miseris hisce hominibus fontes erroris
 ostenderent, ac si non plurimi tales demonstrationes in rebus ad
 fidem Philosophicam & Historicam pertinentes inaniter jactarent,
 ac, mediantibus illis demum, fiduciam cordis excitare frustra

D

fata-

fatagerent. Quotidiana, prohi dolor! experientia testatur, in rebus fidei Christianæ signa amoris vulgaria & sincera etiam ab iis, qui talia quotidie inculcant, ac verbis præ se ferunt, re ipsa negligi, & ubique scripta fide aut syllogismis agi. Testatur eadem, alios donis & blanditiis, alios minis & gladio assensum aliorum hypocriticum fidei huic syllogistica extorquere, ut pius & sincerus Politicus aut Jure Consultus fere nesciat, quo se vertat. Et quo se vertet, nisi derelictis omnibus doctoribus falsis, ad Deum & Christum suum?

Ejus antidotum ex Hebr. IX. & Rom. XIV.

§. 49. Recordabitur autem quilibet Christianus, & quilibet sincerus Minister Christi, non solum communis asserti, quod fides salvifica describatur a Paulo *ad Hebr. XI. v. 1.* certitudo rerum speratarum & convictio rerum quæ non videntur, h. e. rerum quæ sub demonstrationem Logicam & Mathematicam non cadunt, sed & spectabit remotis præjudiciis exempla fidelium ibidem subjuncta, eaque examinabit, an objectum fidei eorum fuerint res demonstrabiles aut veritates Logice certæ. Imo mente simplici & cum suspiriis pensabit, cur etiam inter ipsos Evangelicos evangelica doctrina Pauli negligatur *ad Rom. XIV. v. 1. seq.* qua monet, ut quisque in corde suo de iis, quæ credat, debeat esse certus, & ille qui credit vescendum esse omnibus & qui æque æstimat omnem diem, & illum qui contrarium sibi persuasit, quorum utrumque, tanquam sibi contrarium, sub demonstrationem logicam aut mathematicam certissime non cadit. Monet expresse dissentientes ejusmodi, etsi forte errantes, non esse condemnandos, sed placide suscipiendos, imo ne quidem demonstrationibus affectatis & disputationibus ac syllogismis vexandos. (*μη̄ εις διακρίσεις διαλογισμῶν*) Et tamen utrobique inter nos alia longe doctrina, alia longe facta regnant. Sed mox liberabit nos Deus ab hoc quoque malo. Qui credit, videbit.

Regula falsa de verosimilibus, communis tamen.

§. 50. Ne tamen quis & in fide intellectuâli aberret, & ex contrariis aut contradictoriis opinionibus incautus erroneam præ magis verosimili eligat, pauca quædam de regulis fidei intellectualis dicenda sunt. Ubi deplorandum rursus, quod communi doctrina hodiernum regnante doctrinæ de verosimili substruatur fundamentum lubricum & plane impertinens; ea scilicet verifi-

verisimilia esse, quæ sic videntur pluribus aut sapientioribus. Regula hæc præjudicium autoritatis, omnem veritatis cognitionem impediens, stabilit, & nil aliud, quam fidem cæcam & irrationalem inducit, non Philosophicam aut Historicam. Testibus non utimur ad probanda axiomata & canones intellectus, sed ad probanda facta. Et imo in ipsis factis testis ineptus est, qui dicit hoc sibi videri, hoc a se verum credi; scientia in teste requiritur non fides. Ea credimus facta esse, quæ testis ipse vidit, audit, egit &c. Facit & hæc regula, ut ex duabus propositionibus contradictoriis utramque quis possit credere, quo quid ineptius? Unam enim credet, quia sic videtur pluribus, alteram, quia ea aridet paucioribus. Regulariter enim plures non sunt sapientes, cum sapientes sunt paucissimi. Ergo nec ullum usum habet iste canon. Quod si dixissent, verisimile id esse, quod sic videtur pluribus aut potentioribus, sensum saltem habuisset axioma & monstrasset, mundum regi opinionibus multitudinis & potentum, i. e. erroribus.

S. 51. Neque tamen in doctrina de verisimili expectandi sunt canones apodictici, sed saltem & ipsi verisimiles, h. e. quæ raro vel certe non sæpe fallant. Hic ergo prænotandum. Verum necessario tale seu certum, & falsum necessario tale seu impossibile duo extrema esse scientiam parientia, in quorum medio incognitum est ignorantia soboles. Natura vero sua mens humana ignorantiam abjicere studet, & sic ex illo medio in utrumvis latus modo ad cognitionem veritatum necessariorum modo ad cognitionem rerum impossibilium se movet. Quoniam tamen ob imbecillitatem suam scientiam rarissime attingit, in multis cogitur subsistere in illis, quæ vero & falso sunt propinqua, quorum illa verisimilia, hæc dissimilia vero vocantur. Sunt autem verosimilium & verodissimilium tres gradus. Infimus parum ab incognito abest, scilicet quod ab una parte vix verosimile, ab altera vix verodissimile est. Ex hoc oritur dubium striete dictum seu suspensio iudicii, aut hæsitatio æqualis in utramque partem. Medius gradus ex una parte est notabilis appropinquatio ad verum punctum & discesio notabilis a puncto falsi, i. e. verisimile simpliciter quod credimus, sed absque magna fiducia; ex altera

parte est notabilis appropinquatio ad punctum falsi & discessio notabilis a puncto veri, i. e. verodissimile simpliciter quod non credimus, sed absque magna diffidentia. Summus gradus denique ex una parte est proximitas talis puncto veri, & maxima remotio a puncto falsi, quod sic firmiter credimus, ut in effectu vix a scientia hanc fidem secernere possimus, ab altera parte est proximitas puncto falsi & maxima remotio a puncto veri, quod sic firmiter non credimus ut in effectu vix possimus istud verodissimile ab impossibili secernere.

*Regula de
verisimilitu-
dine systema-
tum & Histo-
riarum inte-
grarum.*

§. 52. Jam vel de fide integri alicujus systematis philosophici aut integræ alicujus historiæ, vel de singulis propositionibus philosophicis aut factis historicis sermo est. Priori casu systema aliquod philosophicum, aut Historia scripta præ aliis maxime verosimilis est, quæ in plerisque proxime accedit ad veritatem certam, & paucissimas contradictiones habet ac verodissimilitudines. Contra ea Historia, id systema maxime verodissimile est, quod certas veritates ubivis jactat & loco earum contradictiones meras aut somnia & fictiones cerebri proponit, vel facta narrat parum cum natura humana convenientia &c. e. g. Philosophia Mosaica & Cartesiana; Historia Regum Israel & Juda, & Historia Cyri aut Alexandri Magni; Evangelium Matthæi & Philostrati vita Apollonii.

*Regula de
summa vero-
similitudine
singularum
propositio-
num & assen-
sionum histo-
ricarum, cum
exemplis.*

§. 53. Posteriori casu tres regulæ dari possunt pro veritate trium graduum verosimilitudinis.

1. Quæcunque propositiones aut assertiones historicæ rarissime fallunt & vix unam aut alteram exceptionem admittunt, illa pariunt verosimilitudinem summam: & quæcunque propositiones aut assertiones historicæ rarissime & vix semel aut bis contingunt, præprimis si illa contingentia vix sine potentia humana majore concipi possit, ea pariunt maximam verodissimilitudinem. Ita maxime verosimile, eum qui secundum leges naturæ vixit, etiam gaudere tranquillitate animi, eum contra, qui contra leges naturæ vixit, tali tranquillitate gaudere maxime vero absimile est; Ita testimonium duorum testium impartialium, & qui non potuerunt antea de iis, quæ deposuerunt, conferre, consonum in minimis etiam circumstantiis maxime verosimi-

verosimile est, contra testimonium duorum testium partialium acuti ingenii diu colludentium, etiamsi in minimis circumstantiis consentiant, maxime verodissimile est. Ita maxime verosimile est, hominem passioni dominanti aut etiam affectui alii fortiter irritato satisfacturum esse quocunque modo, si putet, se id clanculum facere posse; maxime autem verodissimile est, hominem bene potum, solum cum sola, pulcra, jucunda, tempore noctis castissime vixisse, aut quod in proverbio apud Pontificios est, clericum solum cum sola præsumi orare Pater noster. Ita minime verosimile est: aleatorem tesseri ludentem plurimis, præprimis non in omni latere notatis, tribus vicibus continuatis eisdem jactus præprimis summæ maximæ vel minimæ fecisse. Ita maxime verodissimile est, aliquem ita dissimulare posse affectus suos, ut impossibile sit maxime verosimiliter ejus temperamentum cognoscere. Ita maxime verodissimile est, eum qui pediculum tollet de veste Principis, magnum præmium accepturum, aut qui eleganter chelyde ludere novit, hoc ipso ministrum status primarium evasurum.

§. 54. II. Quæcunque assertiones raro (sæpe) fallunt, sed tamen admittunt exceptiones non paucas subinde naturaliter contingentes neque potentia majori adscribendas, etsi intuitu casuum oppositorum longe pauciores, ea pariunt verosimilitudinem (verodissimilitudinem) simpliciter, seu gradus medii. Ita verosimile est, duos vel plures testes, quorum partialitas non præsumitur, qui tamen antea secum conferre poterant, de re super qua testimonium dicendum erat, juratos veritatem dixisse, nec immemores fuisse salutis æternæ. Ita verosimile est, hominem coercitioni affectuum valde operam dantem, tamen succubuisse, si occasio se obtulerit satisfaciendi passioni dominanti, & principiis non restiterit: v. g. si voluptuosus non restiterit primis motibus amoris aut cupidini edendi & bibendi; si ambitiosus non restiterit primis motibus se immiscendi negotiis aulicis, avarus primis motibus se immiscendi negotiis mercatorii. Ita verodissimile est, hominem valde irritatum per objectum affectus etiam inferioris restitisse tamen, nisi circumstantiæ affuerint valde repugnantes passioni dominanti. Non

*Regula cum
exemplis de
verosimilitu-
dine gradus
medii.*

verosimile est, voluptuosum parum ambitiosum oppugnasse tempore nocturno armis æqualibus inimicum, qui magna etiam injuria ipsum affecerat. Non verosimile est, ambitiosum parum voluptuosum adulterium commisisse cum femina mediocris conditionis & pulchritudinis tali tempore & loco, ubi facile deprehendi poterat, præprimis sub Principe adulterium severe puniente. Ita verosimile est, aleatorem in jactum tesserarum duarum in omnibus lateribus notatarum sæpius jactus summarum 6. 7. & 8. quam 2. 3. vel 11. & 12. facturum. Ergo in judicanda verosimilitudine & dissimilitudine simplici respiciendum potissimum ad pluralitatem casuum in regula & ad paucitatem in exceptione. Hinc si v. g. quis sub populo atheo vivat, aut ubi plurima sunt exempla fallorum testium, primum exemplum hic datum potius invertendum erit, ita ut vix verosimile sit, duos testes etiam juratos veritatem dixisse.

*Regula cum
exemplis de
verosimilitu-
dine infima.*

§. 55. III. Quæcunque propositiones seu assertiones historicæ sæpe fallunt ac multas habent exceptiones, ita ut casus exceptionum prope accedant ad casus regulæ, ab his tamen aliquo modo superentur, ex faciunt vix verosimile seu verosimile in gradu infimo. Et quæcunque propositiones aut assertiones sæpe veræ sunt, & tamen casus fallaciarum aliquo modo excedunt casus veritatis, ex sunt verodissimiles in infimo gradu seu vix verodissimiles. Et cum adeo ab utraque parte adsit pluralitas casuum, intellectus vero humanus raro illos inter se computare possit, ut dijudicet, quænam classis alteram superet, fere in medio hærrere debet & suspendere judicium, nisi determinationem suadeant aliæ causæ. Ita si duo testes jurati, vitæ alias non optimæ, deponant unanimiter contra virum honestorum morum depositum negantem, judex quoad fidem historicam fere ex utraque parte anceps esse potest, ut vix videatur ipsi verosimile, virum alias honestorum morum fraudulenter depositum negasse, simul tamen idem vix verodissimile ob juramentum duorum testium. Ita si scriptor novus cum fiducia narret factum aliquod, quod tacuerunt scriptores antiqui, facile possunt circumstantiæ utrobique intervenire, ut ex una parte id videatur verosimile, ex altera verodissimile. Ita si homo alias honestus
cum

cum fœmina alias honesta, præprimis cum amica & ubi aliqua species clandestinitatis aderat, diuturniore tempore solus cum sola fuerit, vix videbitur verosimile, si circumstantias honestatis utriusque consideres, aliquid immoderati ab iis actum esse, vix tamen videbitur verodissimile, quod non castissime vixerint, si fragilitatem sexus utriusque, & clandestinitatis occasionem consideres. Sic si quis gloriatur, quod velit simulationibus & dissimulationibus per aliquot dies mixturam naturalem suorum affectuum occultare viro alias in cognitione hominum & sui ipsius valde versato, facile potest contingere, ut ob varias circumstantias quæ intervenire possunt, ex una parte possibilitas ejus rei videatur verosimilis, ex altera verodissimilis &c.

§. 56. Quamvis autem regulæ hæcenus traditæ & exempla subjuncta satis sint evidentiæ, si doctrinam de verosimilitudine generaliter & in abstracto quasi specularis, nescio tamen an ex multum profutura sint illi, qui solis iis filis easdem ad praxin casuum & quæstionum obvenientium velit applicare. Cum enim fundamentum illarum regularum sit frequentia aut raritas casuum ad regulas applicandorum, & frequentia illa ac raritas potissimum dependeat a natura quarumvis rerum in fide philosophica, vel a natura hominum in fide historica, & vero naturas rerum nemo noverit, nisi sit egregius Physicus, naturas autem hominum nemo exacte noverit, nisi simul doctrinam Ethicam & Politicam probe calleat, facile patet, citra notitiam exactam Philosophiæ principalis naturalis scilicet & moralis istas regulas parum profuturas, ei vero, qui notitia hac probe est imbutus, regulas istas non multum usui futuras.

§. 57. Porro, cum in re verosimili minima circumstantia possit judicium variare & in fide philosophica & juridica, & verò infinitæ sint circumstantiæ, hinc sua sponte sequitur, eum qui non vult decipi in fide intellectuâ, non solum liberum esse debere a præjudicio autoritatis & præcipitantiæ, sed & a præjudiciis affectuum, amore, odio, nimia curiositate, impatientia, studio imitandi alios &c. utpote quæ singula & attentionem in dijudicatione verisimilium rerum maxime necessariarum, & ipsum judicium turbant. Uno verbo: Debet esse homo incorruptorum morum

& ex-

Regulæ tamen hæc in praxi nihil proderunt nisi jam tota philosophia imbuto.

Et præterea viro bono & prudenti, quorum uterque tamen iis facile carebit.

& exacti iudicii, alias regulæ quæcunque ipsi nil proderunt. At hominem exacti iudicii & incorruptorum morum quis putabit regulis hæc opus habiturum.

*Præjudicia
quantum no-
ceant in co-
gnitione re-
rum verosi-
milium.*

§. 58. Proderunt tamen, aliquo modo tam regulæ illæ, quam observationes illæ §§. duorum præcedentium ad ostendendos errores in iudicio rerum verosimilium commissos, eosque, qua communes esse & ab eruditis etiam committi solent, cavendas. Ita nihil frequentius est, quam ut homines plerique, omnium vero maxime philosophi, speculative genuinas causarum naturalium connexiones ignorent, & sic non solum pro verodissimili sed & pro difficili ac plane impossibili habeant, quod ipsis impossibile est, aut vi alicui majori vel divinæ vel diabolicæ tribuant, cujus causam ipsi & alii eorum similes ignorant, etsi causæ illæ sint vel pure naturales vel morales. Ita ars præstigiatorum acetabulis ex pera ludentium a multis pro arte magica fuit habita, donec mysteria illa ludrica publicis typis fuerint vulgata. Pari ratione non pauci artem funambulorum pro præstigiis diabolicis habent, cum videant, motiones eorum hominibus qui ateneris iis non excitati sunt, esse omnino impossibiles. Ita a Theologis pariter ac Philosophis magno cum zelo cura per pulverem sympatheticum magiæ fuit accusata; contra ab aliis nonnunquam morbi spasmodici extraordinarii, in quibus ægrotautes insolita quædam loqui solent, pro divinis quibusdam ac prophetis motibus incauti habuerunt. Imo magis mirandus effectus præjudicii autoritatis, quo solo abrepti eruditorum præcipui interpretationes sacrarum literarum & doctrina aliarum disciplinarum non improbabilis sed valde verosimiles, modo repugnarent doctrinæ per seculum aut ultra receptæ, pro crimine maximo, hæresi scilicet venditarunt, & earum autores, homines alias moratos & sanæ mentis quasi a diabolo obsessi essent, sibi imaginati sunt. Pariter & prudentia cognoscendi alios homines a plurimis pro impossibili habetur, aut certe pro arte illicita vel magica, tantum quia vel Aristoteles de ea nihil scripserit, vel ipsi eam ignorant, & nihil de ea a præceptoribus suis audiverunt, quamvis ea nihil sit demonstratu facilius, atque ipsa scriptura sacra ejus mentionem faciat.

§. 59. Sunt

§. 59. Sunt etiam regulæ speciales non pauca, a plurimis *Circa regulas*
 Doctoribus in dirigenda fide historica commendata, quæ tamen *speciales de*
 & ipsæ si accuratius considerentur, nihil vel certe parum in ap- *fide historica*
 plicatione ad casus obvenientes profunt, sed tot exceptionibus *repetenda*
 & limitationibus sunt obnoxia, ut omnia relinquuntur in mera *monita modo*
 incertitudine, cum exceptiones frequenter tot casus contineant, *dicta.*
 quot ipsæ regulæ. Puta regulæ de fide historica orta ex fama,
 testimonio, taciturnitate, historiis publicis, & arcanis, archivis,
 actis publicis, scriptura privata &c. Primarium hic officium ju-
 dicantis de fide historica est, respicere ad singulas circumstantias
 facti, & considerare, utrum relatio conveniat cum connexitate
 circumstantiarum, quæ in factis reliquarum creaturarum ob
 communem individuorum unius speciei naturam non adeo
 diversa esse solet, in factis humanis vero pro infinitate indivi-
 duorum & pro infinitate ipsorum negotiorum variat. Ergo hic
 iterum mens præjudicii vacua & genuina philosophia naturali
 & morali instructa utramque faciet paginam, contra mens his
 subsidiis non instructa per ejusmodi regulas magis confundi-
 tur quam instruitur. Quare quæ de hujusmodi regulis &
 communibus circa eas erroribus moneri poterant, sequenti
 capiti reservabimus, potissimum quia Jcti ejusmodi regulis
 ponendis mire & misere luxuriari solent.

§. 60. Cum vero paucissimi hominum a præjudiciis sint *Officium sa-*
 purgati & genuina philosophia instructi, non mirandum, quod in *pientis circa*
 quæstionibus historicis tot contentiones, contradictiones & an- *disceptatio-*
 dagationum pugnae deprehendantur, cum plerumque ex utraque *nes histori-*
 parte dissentientium, loco rationum verosimilium afferantur co- *cas.*
 lores rhetorici & fuci affectuum, utrobique etiam certari soleat
 regulis istis impertinentibus ac sibi contradicentibus. Sæpe
 etiam negotia sic intricata sunt, ut ex utraque parte afferantur
 conjecturæ verosimiles intuitu connexionis circumstantiarum,
 potissima vero facti circumstantia, a qua reliquæ dependent, ab
 una parte sic, ab altera modo opposito referatur, & fere deficient
 media dijudicandi, uter scriptor vel testis veritatem dixerit, qua-
 le exemplum per ea quæ capite sequente notabuntur, occurrit
 in historia vitæ Mariæ Stuartæ, Reginae Scotiæ, sub Elisabetha
 E regina

regina Angliæ capite truncatæ. Ergo sapiens in disceptationibus historicis magis quietum scepticum quam inquietum dogmaticum agit, h. e. operam dat, ut ipse a præjudiciis vacuus id quod verosimilius est deprehendat, eique credat, si non possit, iudicium suum suspendat, sed hanc fidem suam aut suspensionem fidei alteri non obrudat, verum data occasione credulitatem aut incredulitatem ejus placida monstratione verosimilitudinis tollere intendat, & si id efficere non possit, credulo aut incredulo huic non irascatur, sed, si ex incredulitate ista damnum sensurus sit, illius misereatur, & vices ejus doleat. Quod si alteri nil pro-
fit aut noceat, utrum historiam credat vel minus, tum sapiens multo minorem causam irascendi aut cum eo rixandi habet, sed neque tamen ullam causam dolendi, quin potius studet, ut historiis sive veris sive fabulosis & fictis, doctrinas bonas ad emendationem aliorum facientes amœniores faciat, & alterius attentionem excitet, recordatus proverbiorum vulgarium, quod exemplorum non requiratur veritas, eaque non tam probent, quam illustrent.

*In factis hi-
storicis multa
moraliter
certa, multa
tamen etiam
incerta.*

§. 61. Dico in disceptationibus historicis. Neque enim in omnibus dubitandum, aut iudicium suspendendum, aut verosimilitudo diu quærenda est. Sed multa sunt in historiis, de quorum veritate nemo sanæ mentis dubitaverit: v. g. Jesum fuisse, multos sanasse, infami morte necatum esse; Cæsarem fuisse Dictatorem Romanum, in Gallis bella gessisse, a Bruto & Cassio interfectum esse, morte violenta Henricum Stuartum, item Davidem Rizium periisse, & alia multa facta esse, ob quæ male audiit Maria Stuarta, & sic infinita aliâ, etiam in historia profana, tantum verosimilitudinis gradum habent, ut vix a veritate necessaria secerni possint, ac æque stultus habeatur, qui de horum veritate dubitare velit, atque is, qui dubitare vellet, utrum bis duo sint quatuor, aut an trianguli tres anguli sint æquales duobus rectis, aut an vigilet, & manus ac pedes habeat. Quoniam tamen parum proderit generales circumstantias historiarum nosse, sine specialibus, cum hæ, & sæpe vel una harum, totum iudicium de facti alicujus moralitate & usu in vita civili mutet, & vero de specialibus his plerumque dissensus sit, v. g. inter
Chri-

Christianos & eorum hostes, utrum JESUS resurrexerit, & vivus in cœlum translatus sit; item inter Reformatos & Pontificios historicos, utrum Maria Stuarta jusserit & consenserit dolo malo in crimina ipsi imputata, utrum a fratre suo consanguineo & aliis hominibus fuerit falsis narrationibus decepta, ac multa scelera sine ejus præcitu sub nomine ipsius patrata sint: hic sane operam dat sapientiæ studiosus, ut quantum fieri poterit, mediam inter nimiam credulitatem viam inveniatur.

CAP. II.

DE FIDE JURIDICA IN SPECIE.

§. I.

Fides Juridica dupliciter sumitur, vel pro fide, de qua in cor- *Ratio dicen-*
 pore Juris & a Jure Consultis in doctrina juris tractatur, *dorum, Fides*
 vel de qua sermo est in praxi judiciaria. Prior in lato suo *Juridica vel*
 ambitu tot significationibus fere est obnoxia, quot de fide secun- *late dicta, vel*
 dum doctrinam Philosophiæ & sacrarum literarum in capite *in specie Ju-*
 præcedente adduximus, & sub se etiam fidem illam alteram judi- *diciaria.*
 cialem comprehendit. Posterior, uti solum ad fidem historicam
 stricte dictam pertinet, ita cum illa & multa communia habet, &
 in multis tamen ab ea differt, ac peculiarem quandam fidei spe-
 ciem constituit. Uti vero primum caput potissimum ad osten-
 dendam differentiam fidei cordis & fidei cerebri est conscriptum,
 ut ii, qui Jurisprudentiæ dant operam, confusionem harum dua-
 rum fidium aliis Facultatibus Academicis frequentissimam, per-
 niciosissimam tamen, evitare studeant; ita hoc caput potissimum
 occupatum erit in ostendenda differentia fidei historicæ & fidei
 judiciariæ, ut evitetur iterum confusio utriusque non raro a Ju-
 re Consultis etiam, sæpe etiam a Doctoribus aliarum Facultatum
 commissa. Quare etsi hoc intuitu possemus a prima significa-
 tione fidei juridicæ hic plane abstrahere, non pigebit tamen
 paucis conferre doctrinam capituli præcedentis cum fide juridi-
 ca late dicta, non tam ut ostendamus, Philosophiam nostram
 de fide convenire cum jurisprudentia nostra, uti ostendimus,
 eam convenire cum Sacris Literis, sed ut examinemus an juris-
 pruden-

prudencia nostra conveniat cum Philosophia sana. Etenim ratio est quidem subordinanda Sacris Literis, & ad ejus doctrinam examinanda, at ratio non est subordinanda Jurisprudentiæ, quin potius, si Jurisprudencia Romana vel Canonica a ratione aberrat, interest omnium, ut hoc ostendatur.

Fide Juridicalate dicta. Bona fidei possessor etiam is qui supine errat,

§. 2. Fides etiam in Jure nostro sumitur partim pro affectio-
ne voluntatis, partim pro affectione intellectus. Quod prius
attinet, diximus §. 6. cap. præced. quod bona fides etiam de homi-
ne valde supino prædicetur, quod jura nostra etiam in bonæ fidei
possessore observant. Etenim bonæ fidei possessor est is, qui
non scit rem ad alium pertinere, sed putat, se esse dominum *l. bo-
næ fidei 109. ff. de V. S. l. item veniunt 20. §. petitam 11. ff. de hered. petit.
l. legis Fabiæ 3. ff. ad L. Fab. de plagiar.* Etiam si supine erret &
ignoret v. g. factum proprium. *Ulpianus l. Celsus 27. ff. de usuc. aut
in jure erret, Ulpianus l. sed etsi 25. §. scire 6. ff. de petit. hered. etsi
Paulus contrariæ sententiæ fuisse videatur, eum pro bonæ fidei
possessore non habens, qui rem a pupillo sine tutoris autoritate
emerit l. 27. ff. de contrab. emt. Non obstat. l. nec supina 7. ff. de jur.
& fact. ignor. l. Servius 4. ff. quod vi aut clam. l. ii. C. Unde vi.*

Res Credite. Contractus bonæ fidei.

§. 3. Porro diximus §. 7. quod credere sæpe apud Latinos
sumatur pro fidere. Ita & in jure vox credendi sumitur, unde
crediti & debiti voces descendunt & totus titulus *ff. de Reb. Creditis.*
Sed & in contractibus & inde descendentibus actionibus bonæ
fidei & stricti juris, vox bonæ fidei supponitur pro fiducia. Nam
in contractibus bonæ fidei, qui mutuas præstationes continent,
cum omnia ob infinitas circumstantias verbis exprimi in con-
ventionem nequeant, sed hic magis ad æquitatem quam ad con-
ventionem judici respiciendum sit, necesse est, ut uterque utri-
que fidat, adeoque exuberans bona fides de iis prædicatur *l. bona
fides 31. pr. & §. 1. ff. de pos. l. cum in societatis 3. C. pro socio.* Contra
vero in judiciis stricti juris, cum unus saltem alteri quid præ-
stet, magis ad verba respicitur, quam ad fiduciam, quam alter in
alterius premissio citra verba posuerit *l. quicquid 99. ff. de V. O.*
Nam alias & in contractibus stricti juris bona fides i. e. carentia
doli (*conf. §. 2. hic & §. 6. c. præced.*) adesse debet *l. si mandata 59. §.
1. ff. mandati l. bonam fidem 4. C. de O. & A.*

§. 4. Per:

§. 4. Pertinet etiam ad fidem cordis *Novell. 17. c. 6. de fide publica non passim danda, item l. si ventri 24. §. in bonis 2. de reb. aut. jud. possid.* In bonis mensularii vendendis potiorum eorum causam esse, qui pecunias apud mensam, fidem publicam secuti, deposuerunt. Adde *l. 12. C. de prox. sacrorum scriniorum lib. 12. & Edict. Justin. 2. ne praesides in causis fiscalibus fidem publicam dent.* Similis est ratio fidei a privatis datae, quo pertinet *l. Graecae 8. pr. ff. de fidejuss.* ubi mentio fit antiquae formulae fidejussoriae τῆ ἐμῆ πίσει κελεύω, λέγω, θέλω, fide mea esse jubeo, dico, volo, & totus adeo titulus de fidejussoribus.

§. 5. Diximus etiam §. 9. *capitis praeced.* & passim, fidem cordis non esse scientificam, & fidem intellectus opponi scientiae. Contra video equidem a nonnullis adduci *l. 136. ff. de R. I. ubi JCrus dicit: Bonam fidem tandem possidenti praestare, quantum veritatem, quoties lex impedimento non sit. Unde quidam, alios quos ex Glossatoribus secuti, inferre volunt, quod fides etiam praedicetur de rebus certis & quas sciamus. Sed nolim tamen hac parte differentiam facere inter Philosophiam & Jurisprudentiam. Praeterquam enim quod in jure opponantur perpetuo verus dominus, qui scit se esse dominum, & bonae fidei possessor, qui saltem putat se dominum esse, JCrus in dicta lege non dicit, quod veritas & fides sint unum idemque, sed solum, quod bona fides tantum possidenti praestet, quantum veritas, inter quae duo magnam esse differentiam, vel dicta capitis praecedentis declarabunt, ubi docuimus fidem non esse scientiam, & tamen simul docuimus, verosimilitudinem in vita civili saepissime aequipollere certae veritati. Ut taceam veritatis vocem in dicta lege sumi pro re ipsa, non pro convenientia intellectus cum re, sicut ut in scholis loquuntur, pro veritate Metaphysica, non Logica, qualis ad scientiam requiritur. Scio quidem, quod saepius etiam in Codice mentio fiat fidei veritatis, fidei veri, item fidei rerum *l. 1. C. si minor ab hered. se abstin. l. neque 6. C. de compens. l. ult. C. de praed. minor. l. verba 6. de testam. l. cum nemo 5. C. de A. vel R. P. & passim alibi.* Sed ut taceam, in Codicis legibus non quaerendam esse proprietatem verborum, contextus ubique ostendit, per veritatem & verum intelligi tale quid, quale ipsa fides ad-*

E 3

mittit,

*Fides juridi-
ca formula-
ria, Pythago-
rica, irratio-
nalis, carbona-
ria.*

mittit. Admittit autem fides saltem verisimile. Et verisimile sub voce veri latius accepta comprehenditur.

§. 6. Haecenus bene. Jam & nævi Jurisprudentiæ nostræ monstrandi sunt. Mirum vero, leges Pandectarum, quæ ex scriptis Jctorum Ethnicorum excerptæ sunt, convenire cum sana philosophia de fide, contra, ut jam videbimus, leges Christianorum Imperatorum doctrinæ veræ & in recta ratione fundatæ non convenire. Sed id nobis non mirum, postquam jam *cap. preced. §. 27. seq.* ostendimus, per principia Anti-Christi jam sub Constantino M. fidem & contra usum sermonis latini ac rationem & contra SS. literas usurpari cœpisse pro formula scripta, & credulitatem jactatam esse pro fide, & sic introductam esse fidem Pythagoricam, irrationalem, carbonariam. Non id fecimus, ut ulcus, cujus origo a Clero est, animo insultandi cuiquam, tangere, idque omnium oculis exponere citra necessitatem, tanquam rem a nostro scopo & a jurisprudentia alienam, & ad Dominos Theologos pertinentem voluerimus, sed quoniam ista pseudofides proh dolor! & juridica facta est, postquam scilicet Constantinus & reliqui successores ejus, ac Justinianus noster tyrannidem Papalem, cujus primarium articulum istam pseudofidem supra diximus sibi injici passi sunt, atque sic istud contagium Papismi etiam nos Jctos in medio, quem nonnulli falso gloriantur, Ecclesiæ Evangelicæ florentissimo statu, invasit. Opus ergo erit, ut harmoniam juris nostri cum doctrina illa capitali tyrannidis Papalis paucis ostendamus.

*Ostenditur
ex Codice Ju-
ris Justinia-
nei,*

§. 7. Ut enim taceamus Juris Canonici titulum *de Fide & fidei articulis*, utpote de quo nullum est dubium, in frontispicio statim Codicis occurrit rubrica *de Fide Catholica*, per quam intelligitur doctrina de fide *l. 1. d. 1.* sensus (intellectualis) fidei intereratæ *l. 2. ibid.* fides scripta *l. 3. §. 3. eod.* fides vere exposita *l. 4. eod.* Habes ergo hic fidem *formulariam*, unde & ipsa, disertis verbis vocatur sancta fidei formula seu symbolum, *l. 7. §. 3. eod.* Habes fidem *Pythagoricam*, sequitur enim Imperator fidem, quam claret sequi Pontificem Damasum, & Petrum Alexandria Episcopum *d. l. 1.* & quam prædicant sanctissimi Dei sacerdotes *l. 6. pr. eod.* Habes fidem *irrationalem* & rationem fidei huic formulariæ subjugan-

jugandam, cum gravissime prohibitum sit, ut nemo semel iudicio reverendissimæ Synodi iudicata & recte disposita revolvere & publice disputare contendat *l. 4. eod.* Habes denique fidem *Carbonariam*, cum præcipitur, ut observentur dogmata quatuor Conciliorum (vulgo Oecumenicorum) sicut sacræ scripturæ & eorum regulæ sicut leges *Nov. 131. cap. 1.* Simul vero habes *tyrannidem Anti-Christi*, ope introductæ hujus fidei carbonariæ exercitam, dum contra omnes, qui vel hiscere saltem audent, gravissimæ pœnæ sunt statutz *t. r. de fide Catholica & t. r. de heret. & manich.*

§. 8. Quæ omnia cum sic satis aperta sint, mirandum esset, quod JCu Evangelici tyrannidem hanc Anti-Christicam in expositione Codicis non observaverint & notaverint, nisi communis & inter Evangelicos etiam passim vigens persuasio de fide formularia iis imposuisset, ut non solum hoc capitale principium Papismi cum doctrina Evangelii, (præprimis tacentibus & approbantibus iis, qui id ante omnes notare debuissent) convenire sibi persuaserint, sed & alia Codicis Justiniani in legibus ecclesiasticis ubique papizantis, plerumque pro sanis & justis habuerint, ac non solum in Cathedra aut scriptis defenderint, sed & in praxi secundum talia jura plane Ethnica & Papistica pronunciaverint. Prodiit jam anno 1618. Coloniz Agripp. *Cornelii a Rynthelen Advocati Dusseldorpiensis Jurista Romano-Catholicus*, in quo scripto autor intendit, ut præcipuas controversias Romanæ Ecclesiæ cum aliis sectis ex legibus Justiniani probet. Pari intentione anno 1662. similem tractatum Arnoldus Corvinus Consiliarius Moguntinus edidit sub titulo: *Imp. Justinianus Catholicus*, qui assertionem nostram de Papismo Codicis Justiniani satis probabunt: Quamvis non diffiteamur, dictos autores, ut intentioni suæ inservirent, nonnulla nimis anxie & remote acquisivisse, sæpe etiam errore communi deceptos esse. Ita B. Baierus noster peculiari disputatione olim Jenæ habita, quæ quarta est in decade secunda nuper publicata, adversus Arnoldum Corvinum valde probabiliter adstruxit, falsum esse, quod Justinianus Papæ Romano potestatem aliquam eminentem vel in spiritualibus vel in politicis tribuerit, sed potius Epistolam Papæ Johannis quæ legitur post *l. 7. C. de fide Catholica* esse supposititiam. interim tamen

cuilibet,

*Codex Justinianus ubiq;
Papisticus.*

cui libet, præprimis Cornelii a Rynthelen tractatum legenti patebit, ab eo Papismum Juris Justinianeum ad oculum esse demonstratum. Ex quo etiam pro illustratione dictorum §. præced. pauca licebit excerpere. Ita vero cap. 6. p. 18. *Nota quod quidam recte colligunt ex d. l. cunctos i. de summa Trinitate, quod si quis interrogaretur de fide, sufficiat respondere, se credere, sicut sacrosancta Romana Ecclesia, nec habet opus explicite respondere de singulis articulis, nisi sit Rector aut Prelatus. Ita Innocent. Hostiens. ad. d. l. cunctos.* Adeoque patet, quod ipsi Pontificii fidem suam carbonariam ex legibus illis Justinianeis deducant.

*Exempla fidei
juridicæ,
quatenus est
species fidei
intellectualis
philosophicæ.
Scepticismus
Juridicus,*

§. 9. Sed pergendum ad alia. Diximus cap. præced. §. 35. & 42. tot esse species fidei intellectualis Philosophicæ, quot sint disciplinæ, eoque etiam Jurisprudentiam retulimus, & hujus fidei Juridicæ exempla hoc capite daturus esse promissimus. Ita hic credit dari Antinomias multas, alius paucas, alius nullas, sed omnes distinctione subtiliter excogitata posse conciliari; hic credit, magnum hodie esse usum Pandectarum, alius exiguum; hic credit textum juris ita esse exponendum, alius aliter. Et quis omnia exempla fidei juridicæ recensere aut ex infinito eorum numero præcipua saltem referre possit. Tot enim sunt exempla fidei juridicæ, quot sunt controversiæ Doëtorum, hæc vero sunt innumerabiles, ita ut & vel ex communibus opinionibus contra communes magna volumina jam ab Hieronymo de Cavallos sint conscripta. Nec aliud admittit natura jurisprudentiæ. Est enim habitus interpretandi leges. Omnis interpretatio conjecturis nititur. Ex conjecturis semper verosimilitudo oritur, nunquam certitudo Logica. Et in specie circa doctrinam interpretationis omnis voluntatis humanæ, sæpissime in utramque partem argumenta vaide verosimilia occurrunt, ut si ulla in disciplina causæ subsint, cur sapiens magis ad Scepticismum quietum inclinare debeat, quam ad Dogmaticismum rixosum, prout in capite præced. simul notavimus, vel maxime id in jurisprudentia obtineat. *vide Scepticismum Juridicum Witeb. in Dn. Prasidis Hist. Sap. & Stultit.* Unde vel ex hoc capite se publicæ omnium irrifioni exponet, qui circa juridicas controversias ab alio Jcto dissentiens, i. e. aliam fidem juridicam habens, in contumeliam alterius

alterius suam fidem pro norma veritatis & certitudine infallibili, alterius vero opiniones pro erroribus velit jaćtare, multo magis autem, si ex illis, quæ opinione quadam supposita, per bonam consequentiam sequuntur, numerum errorum cumlaret, & sic de chiliadibus errorum alteri ostensis gloriaretur. Hoc enim pacto nihil aliud efficiet, quam ut cordati viri propriam ejus stultitiam secundum totidem chiliades numerent. Præprimis cum in materia utrobique verosimili sapiens omni ratione destituatur, cur præter simplicem suæ opinionis eamque placidam expositionem cum altero tanquam turpiter errantē agere sustineat. Omnis error est contradicćtio veritatis. In causa verosimili male pronunciamus hoc ita esse, sed hoc ita nobis videri. Qui alius opinionis est, non ait pariter, rem aliter esse, sed rem aliter videri sibi. Non autem sunt contradicćtoria. Mihi hic videtur, & mihi aliter, quia utrumque verum est. Ubi ergo nulla vera contradicćtio, ibi nullus error.

§. 10. De fide juridica late accepta satis. Fides juridica *Convenientia* stricte dicta seu judicialis est fidei historice stricte dictæ species, & *disconven-* nisi quod in fide juridica aliquando certæ & speciales regulæ ab *nientia fidei* hominibus præscriptæ observentur, quas in fide historica capitis *juridica a fi-* præcedentis non attendi diximus. Ita Judici fides de actione *de historica.* humana est facienda per conjecturas verosimiles, v. g. per testes fide dignos, de quorum adeo fide speciales regulæ non dari possunt, quod vero v. g. jurati testes esse debeant, hoc fidei juridicæ peculiare est. Ut itaque utriusque fidei confusionem evitemus, distinctius paulo ista convenientia & disconvenientia fidei historice & juridicæ erit ostendenda.

§. 11. Sed forte frustra de his disputamus, frustra dicta sunt *Fides histori-* ea omnia, quæ hæctenus observavimus, si non datur fides histo- *ca an detur?* rica. Sublato enim genere fides juridica tanquam ejus species removebitur. At quis dubitet eam dari? Subesse rationes magnas *Occasio qua-* dubitandi præsumendum est, cum vir Consultissimus Joh. Eifen- *stionis.* hartus Professor Academiæ Julicæ in comment. de fide historica id principaliter & multa diligentia agat, ut demonstret, dari fidem aliquam historicam. Uti vero sæpius contingit, ut dum de re, de qua hæctenus nemo dubitaverit, dubitare incipiamus, dubia

F

magis

magis magisque crescant, ita non diffitemur, levis illis fidei historica demonstrationibus dubia nobis fuisse subnata, de quibus forte non cogitavimus, si non observavimus, virum Clarissimum magno conatu laborasse, ut fidei historicae existentiam corroboraret, adeoque hoc ipso supposuisset, non habendum pro fatuo, si quis de fide historica dubitaret. Ergo vel dubia illa tollenda erunt, vel totus discursus noster delendus. Age videamus.

Dubium circa primam rationem pro existentia fidei historica. §. 12. Cum ergo in re dubia affirmanti incumbat probatio, initio pro existentia fidei historicae assertur c. 4. §. 2. hanc non rationem duntaxat, sed que rationi hac in parte non cedit, omnis generis eruditionis Antistitum confessione & unanimi suffragia demonstrari posse. Sed vereor, adversus ista Scepticum excepturum, per testimonia humana non probari existentiam rerum invisibilium, qualis fides est, & multitudinem errantium non patrocinari posse errori. Jam vero capite precedenti rejectum esse axioma Philosophia Aristotelica, in rebus philosophicis id pro verisimili habendum, quod videatur pluribus aut sapientioribus. Se malle uni Seneca tanquam omnium assensu sapienti credere, quam testimonio mille aliorum. Ita autem Seneca Nat. quaest. VII. c. 16, *Nec magna molitione detrahenda est autoritas Ephoro: Historicus est. Quidam incredibilem relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet. Illi non evitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione, (scilicet historicorum per jocos, non de natione Graecorum, ut exponit noster cap. 10. §. 3. utpote quorum antea nulla mentio erat injecta) que approbare opus suum & fieri popolare non putat posse, nisi illud mendacium adpersit. Ergo, perget Scepticus, transeat argumentum ab autoritate, & videndum erit, an fortior sit ratio pro fide historica.*

Dubium circa secundam. §. 13. Assertur autem talis *ibid.* Si quidem non daretur fides historica, nihil determinate sciri posset eorum, que aliquot ante nos seculis gesta sunt, & rebus naturalibus, aliisque acciderunt. Nulli civitatum, regnorum & imperiorum, legum & juris conditores noti essent, nulli eruditionis & scientiarum vetusti interpretes, nullarum veterum urbium fata fortuneque; sed tantum quicquid heri hodieque dictum factum sensu-

sensibus nostris percepimus, hoc saltem, si Diis placet, perspectum cognitumque foret. Hic dubitans de fide historica non poterit non regerere, se omnino putare nihil determinate sciri in rebus antiquis, sed omnia incerta & dubia esse. Alias enim de fide historica non dubitaret. At vero, inquit Vir Clariss. d. l. eorum, quae antiquis seculis facta gestaque, quam plurima nos scire arbitramur. Igitur necesse est, historica fide, si non omnia, pleraque saltem eorum a nobis cognosci, quae nostra parentumque nostrorum memoria non attingit. Hic urgebit dubitans, non recte inferri ab opinione scientiae ad scientiam ipsam, & debere sic concludi, igitur pleraque nos fide historica cognoscere arbitramur. Hoc vero facile concedet. Non enim dubitat de opinione hominum circa fidem historicam, sed de fide ipsa.

§. 14 Sed forte convincet Scepticum ratio Augustini allata *Dubium contra tertiam.*
cap. 6. §. 5. cujus summa eo redit: Sublata fide nihil incolume remanere humanae societatis, sed omnia perturbari, si nihil velimus credere: Totam adeo perituram amicitiam, si quod non video, credere non debeam, cum charitas sit invisibilis. Amicitia autem pereunte, peritura esse conubiorum, cognationum, & affinitatum vincula &c. Ad ista surget Scepticus, & caput extollet, atque ejusdem se esse cum Augustino opinionis affirmabit. Imo fontem ostendet, unde Augustinus ista forte hauserit, simili enim ratione Arnobius disputat adversus Gentes lib. 2. p. m. 46. seq. Quoniam, ait, ridere nostram fidem consuevistis, atque ipsam credulitatem (unde obiter nota ad illustrationem capitis praecedentis, jam & Arnobium credulitatem synonymice usurpasse pro fide) facetiis jocularibus lancinare, dicite o festivi & memco sapientiae tincti, & saturi potu, estne operis in vita negotiosum aliquod atque actuosum genus, quod non fide praeeunte suscipiant, sumant, atque aggrediantur actores? Peregrinamini, navigatis: non domum vos credentes peractis negotiationibus remeanturos? Terram ferro scinditis, atque oppletis seminum varietate: non credentes vos frugem percepturos esse vicibus temporariis? Conjugalita copulatis consortia: non futura esse credentes casta, & officiosi faderis in maritos? Liberorum suscipitis prolem: non incolumem credentes fore, & per gradus aetatis venturam senectutis ad metam? Egritudines corporum medicorum committitis manibus: non credentes morbos posse mitigata asperitate leniri? Bella cum hostibus
geri-

geritis: non victoriam vos credentes prætorum successionebus relatu-
ros? Veneramini Deos & colitis: non credentes illos esse, & propitias aures vestris
supplicationibus commodare? Sed, ita perget Scepticus, quorum
ista omnia? Loquuntur Augustinus & Arnobius de fide Christiana,
de fide cordis seu fiducia. Jam vero probandum est, dari fi-
dem historicam. Fides autem historica est intellectualis.

Dubium cir-
ca quartam.

§. 15. Remota verò sic ratione Augustini, parum commove-
bitur Scepticus iis quæ sequuntur d. c. 6. §. 6. Melchiorum Canum ex
Theodoreto ostendere, fidem esse ceu primariam basin, disciplinarumque
crepidinem, & in hoc ei consentire Aristotelem, tradentem, quod discen-
tem oporteat credere, atque huic adstipulari Philonem, addentem, quod
alias erudiri non possit, qui docenti non credat. Quare factum esse, ut
nature autor in hominum mentibus inclinationem naturalem ad creden-
dum impresserit &c. Deprecabitur hic haud dubie Scepticus au-
toritatem & Cani, & Theodreti, & Aristotelis, & Philonis, ob
rationes §. 12. Fidem discantis quod attinet, concedet, discantem
debere credere fide cordis, negabit eum debere credere docenti
credulitate intellectus, quin potius urgebit, capite præcedenti
hanc fidem Pythagoricam & carbonariam esse rejectam.

Dubium cir-
ca quintam.

§. 16. Sequitur nova ratio cap. 9. §. 1. Quia res ab Historico
commemorata revera contigit, hic potuit sensibus suis illam percipere, &
quoniam perceptam eam memoria dignam judicavit, memoria quoque pos-
terioris eandem commendare voluit; quia vero hoc potuit & voluit,
eam quoque literis & memoria posterorum commendavit. Voluisse autem
consensus est, quia id ipsum ab eo factum esse volumen historicum, quod
in manibus est, reapse demonstrat. Hic primo dubitans dicet, se aut
non intelligere vim hujus rationis, aut sensum hunc esse: Fidem
historicam inde dependere, quod historicus & potuerit & volue-
rit vera scribere, potentiam probari ex eo, quod res revera con-
tingerit, voluntatem ex ipsa scriptura historia. Jam vero addet,
in probatione potentia aperte peti id quod est in principio; Dum
enim de fide historica dubitatur, dubitari simul, an res revera
extiterit; & in probatione voluntatis confundi quæstiones: an
scilicet historicus voluerit scribere, & an voluerit verum scribere.
Prius probari ex codice historico, qui in manibus est, at volunta-
tem veritatis dicendæ ex codice historia non apparere.

§. 17. Sed

§. 17. Sed forte præsumtio est pro historico. *In dubio enim, Dubitum circa*
 sic dicitur cap. 8. §. 18. unusquisque debet præsumi bonus & verax, *ca sextam.*
xime si id, quod narratur, nec incredibile nec absurdum sed probabile ac
verosimile existat, ut scriptor nec amore nec odio partium, de quibus nar-
rat, duci intelligatur. Hic Scepticus urgebit, conditiones nihil af-
 ferere, & de his ipsis conditionibus esse sermonem. Præsumtio-
 nem bonitatis valere quidem in iudicio, in fide historica dubium
 annon majoris efficaciz sit præsumtio scripturæ; omnis homo
 mendax. Adde quod etiam si historicus præsumatur verax, ta-
 men potuerit esse deceptus ab aliis, & quod nota sit alia regula,
 virum veracem posse mendacium seu falsiloquium dicere.

§. 18. Sublata vero ista præsumptione veritatis pro historico, *An historici*
 sua sponte videtur corruere quod eidem superinstructum est. *præsumantur*
 Tale est quod assertur cap. 9. §. 10. Et, qui historico de sui ævi rebus *errare.*
gestis testanti falsum objiciat, eum probare debere vel ignorantiam vel
malitiam historici, cum falsum ab alterutro horum profisciscatur. Et
 forte Scepticus huic assertioni contrarium opponet ex verbis cap.
 11. §. 1. *Ex omnibus historiis a quocunque demum scriptore consignatis,*
eas tantum fide dignas esse, que idoneo sua veritatis testimonio nituntur.
 Deinde nec forte difficile esset multis exemplis & præsumptio-
 nibus ignorantiam aut credulitatem historicorum probare. Ipse
 autor de imperitia, ignorantia vel errore historicorum in recen-
 sione rerum a se remotiorum conqueritur c. 8. §. 4. & 17. Multa
 vero ignorari etiam de iis quæ nostris temporibus & in iis locis
 ubi degimus, sunt, aut admixtis falsis circumstantiis nobis per-
 suaderi, quotidiana docet experientia. Cui non obest, quod
 assertur d. c. 9. §. 10. *non præsumi prudentem hominem ignorare quod*
omnes in civitate vel provincia sciunt, arg. l. 9. §. 2. ff. de J. & F. Ignor.
 Respondebit enim Scepticus, in quæstione esse, partim, an Histo-
 ricus fuerit prudens homo, partim, an res quas narrat, ab omni-
 bus sciuntur & annon potius scientia illa omnium sit putativa,
 præprimis cum tot sint errores communes. Argumenta vero
 legum ex Jure Romano deprecabuntur in quæstione de fide histo-
 rica tanquam re philosophica, & ad intellectum pertinente, cui
 non ferantur leges. Similis erit responsio ad ea quæ sequuntur.
In rebus antiquioribus haud raro plures in eandem rem scriptores solere



concurrere, inter quos latere vel obscurus esse non possit is qui documentis aut testibus melioribus nitatur, cujus inde narrationi potior lux veritatis assistat. Nam (1) sæpe in antiquioribus plures non concurrunt: (2) si concurrunt, de concursu plurium unanimi mox dicendi locus se offeret, (3) si plures dissentiant, sapissime latet & obscura est veritas, vel ideo quia æque dubium est fundamentum dijudicandi documenta antiqua & testes meliores.

An præsumantur mentiri?

§. 19. Deinde quod voluntatem historici attinet, non vincet Scepticum *autoritas Grotii, necesse esse, ut aliquid afferatur, quo testis suspectus reddatur*. Autoritate enim non pugnamus. Nec difficulter afferri potest communis corruptio humanæ naturæ. Sequitur: *Nam si careat suspitione testimonium, vel propter personam à qua fertur, quod honesta sit; vel propter causam, quod neque lucri neque gratiæ, neque inimicitie causa sit, admittendum est l. 3. pr. ff. de testibus.* Sed de legibus Romanis jam monuimus. Et infra videbimus, multa in judiciis admitti, quæ ad fidem historicam extendi nequeunt. Quam facile vero vel a persona scribentis, vel ex causa possunt fontes suspitionis de falsitate oriri? In rerum recentium commemoratione amoris aut metus suspitionem contrahere solent historici, si describant res magnatum aut rerumpublicarum quibus fortunarum suarum initia aut incrementa accepta ferunt, ait noster c. 8. §. 17. Similes suspiciones & de reliquis historicis non sine causa concipi possunt. Tollent etiam istæ suspiciones amoris, metus, & alii, assertionem aliam c. 10. §. 5. *Historicum non eadem qua testis in obscuro privatoque ac forensi negotio securitate mentiri posse, in negotiis plerumq; notoriis, ac talibus, quæ non solam illius sed plurium conscientiam tenent, quin statim experiatur contradictiones & reprobationes intelligentium, cum æternæ fidei & existimationis suæ decremento, ac macula indelebili.* Nam & ab istis contradictionibus retinere homines possunt amor historici, metus potentis, in cujus favorem historicus mentitus est, aut odium illius, in cujus odium historicus scripsit.

Communis historicorum consensus an fidem pariat.

§. 20. Hactenus vidimus argumenta generalia pro probanda fide historica, sequuntur specialiora. De communi historicorum consensu quædam ex Everhardo adducuntur cap. 7. §. 20. *In casu, ubi diversa opiniones ab historicis afferuntur non semper habere locum l. 14. C. de fide instrum. per quam neutrum ejusmodi historiarum in*

ca opinione diversa fidem habere videatur. (Notabit hoc obiter Scepticus, & ex illis contra sequentia urgebit, quam parum apte hic allegerunt leges civiles.) Nam frequentiore opinionem debere prevalere minus frequenti l. 1. pr. vers. Sane crebrior ff. de Off. Quast. Unde etiam d. l. ubique & perpetuo allegari a Dd. ad hoc, quod communis opinio sequenda sit. Non ignotum equidem esse, quod opinio debeat cedere veritati l. si pater 4. §. quoties 1. ff. de manumiss. vindicta. Sed hoc procedere veritate manifestata. In casu autem nostro veritatem non esse manifestatam, unde debere inspicere quod verosimilius est, c. inspicimus 45. de R. I. in 6. Hic Scepticus initio dubitabit, annon regula illa, quod opinio debeat cedere veritati, etiam si ea nulla lege Romana corroboretur, valeat etiam in veritate manifestanda, æque ac in manifestata, h. e. ubi quis probare vult, opinionem communem esse erroneam. Deinde idem nulla lege Romana patietur sibi persuaderi quod communis opinio sit verosimilior, & ad eam assertionem refutandam ab ipso Dn. Autore ex §. statim sequente 21. d. c. 7. mutuabitur exemplum Donationis Constantini, quam ipse falsitatis arguit, etsi diu communis opinio eam pro vera habuerit.

§. 21. Videamus jam, annon generalis saltem & communis eruditorum calculus fidem conciliet veritatis Historicis quibusdam, ut noster eruditorum putat cap. 8. §. 17. Scilicet, ut ex Alciato notat d. c. §. 3. Et ab autoritate calculus pro veterum in sua cujusque arte legitimam esse probationem, quales sint, historicis fide qui communi studiosorum calculo per Academias jamdiu approbentur, dignis. Historice Hippocrates Galenusque Medicis l. 7. ff. de statu hom. Plato & Aristorici Clasfici. storeles Philosophis l. 1. ff. de nundinis. l. 36. ff. de Solut. Livius, Salsustius, Tacitus historicis l. 8. ff. ad l. Jul. Majest. l. 1. ff. de Off. Quast. Cicero & Virgilius humanitatis Professoribus, l. 39. ff. de pæn. l. 6. §. fin. ff. de R. D. Dubitabit hic initio Scepticus, utrum studiosorum calculus possit haberi pro calculo eruditorum. Deinde mirabitur fecundum usum juris Romani, quod etiam Autores Clasficos in singulis facultatibus exinde probaverit Alciatus. Cæterum uti putabit, autoritate tali Clasfica terreri saltem pueros in clasibus sedentes, genuinos autem Philosophos sanam rationem remota omni autoritate sequi, & fore acrem doctrinam B. Ammani Medici Lipsiensis, subinde in scriptis publicis contra Autores Clasfi-

Clasficos in Medicina propositam commendabit, ita ipse audebit salva legum Romanarum reverentia Livium, Sallustium, Tacitum ex classe Historicorum clasficorum ejicere, vel ex iis, quæ Vir Clarissimus statim §. seq. 4. ex Flavio Vopisco sine nota displicentia refert. *Neminem historicorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: produisse quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testimonii convinceretur.* Quinimo cum multa honoris præfatione memorat alterius Viri Illustris testimonium, quod ex Heinio quondam audierit, observatas ipsi esse aliquot Livianarum hallucinationum centones.

Nullum historicum videri fide dignum.

§. 22. Simul autem vereor, ne ex hoc Vopisci loco, & aliis erudite conquisitis observationibus Clarissimi Autoris Scepticus arma sumat omnibus historicis fidem detrahendi & sic dubium suum contra omnem fidem historicam verosimilius reddendi. Quid enim fiet de fide historica, si juxta Vopiscum nemo historicorum non aliquid sit mentitus? Quid fiet de fide historica, si, ut inquit noster *eod. cap. 8. §. 12. cujuslibet ævi & nationis historia aut alterutro aut utroque nomine* (sc. ob imperitiam aut credulitatem, vel ob affectum historici) *corrupta & vitiosa sit?* Si & de Græcis & Romanis historicis, si de historicis Imperii Romano-Germanici, si de scriptoribus Historiæ Ecclesiasticæ & Civilis tales nævi prædicandi sunt, & de omnium laudatissimis id saltem prædicari potest, quod fuerint scriptores prudentia & fide nulli alii secundi, homines tamen & humanæ imbecillitatis, ut & cæteri, non expertes? *d. c. 8. §. 12. 13. 14. 15. 16.* Annon hoc idem est dicere, quod ob eam ipsam imbecillitatem humanam nulli sit fides certo habenda? & quod *ob hos omnium historicorum nævos tanta caligo & incertitudo in multis* (Scepticus hic putabit convenientius dici in omnibus) *magni momenti rebus antiquis nostram ætatem premat.* *cap. 11. §. 9.* Caligo vero & incertitudo sunt fidei historiciæ opposita.

Fama an criterium fidei historica.

§. 23. Sed qui nævos suos habent omnes historici, non ubique tamen, sed in quibusdam saltem nævis laborant. Ergo isti nævi universales existentiæ fidei historiciæ obstare nequeunt. Haberet hæc exceptio momentum aliquid, si modo Sceptico ostendi posset criterium secernendi res fide dignas a rebus tali fide

fide destitutis. At fundamento ejusmodi deficiente magnam vim patietur in animo dubitantis tota fides historica. Ergo consideremus, quæ criteria hic suppeditet Vir Clarissimus. *Historia*, ait, c. 4. §. 4. *fides, si suapte luce non radiet, per famam consentientem evadit manifesta, sic docente Vasquio, in tantum, ut in antiquis ad solam famam omnes species probationis redigantur, & cap. 5. §. 20. docet, quod etiam de factis rebusque recentibus per famam consentientem fides inducatur.* Eadem est ratio traditionis continuo propagatæ, de qua agitur cap. 12. §. 20. Hic equidem Scepticus concedet, traditionis & famæ eandem esse rationem, ac parum differre famam & traditionem, sed scrupulum ipsi ingentem injiciet, quod deprehendat cap. 4. §. 1. *asserit, relationes hominum sæpenumero falsissimas esse, & mendacia non tantum e civitate in civitatem, sed etiam e domo in vicinam domum jactari: Et hoc nimirum famæ ingenium esse, quæ tam ficti prævique tenax sit, quam nuncia veri. Quin earum quoque traditionum, quæ per complures annos pro veris habitæ sint, falsitatem tamen delectam tandem esse constare.* Nec scrupulum adeo hunc tollit responsio cap. 10. §. 1. *quod objectio valeat saltem de primis relationibus vanorum hominum, & de fama adhuc recente ac velut momentanea, cum objectio aperte loquatur etiam de fama diu continuata.* Adde quod Scepticus non sine verisimilitudine putabit, si primæ relationes non sint fide dignæ, eandem quoque esse rationem continuationis earundem. Uti enim verum per repetitionem non redditur falsum, ita nec falsum per repetitionem fieri verum. Imo respuet etiam ex alio capite famam tanquam criterium fidei, cum fama opus habeat alio criterio æque dubio ex dictis cap. 11. §. 3. *Fama inducit justam credulitatem, quando procedit a personis fide dignis. Accidere enim interdum (imo sæpissime dicet Scepticus) solet, ut aliquid vulgo allatum, si quis certos velit examinare testes, an verum sit, neminem id serio testantem inveniat, fiatque, ut quod ab omnibus dici jactatur, asseratur a nemine, rumorque ille evanescat in aures.* Ergo hic novo criterio opus erit dijudicandi homines fide dignos, a non fide dignis; opus erit investigare originem famæ. Quam rarissime vero famæ origo deprehendi poterit? Et quid si deprehendatur? Si ab origine famæ famæ criterium dependet, ergo non a fama ipsa. Nam

G

origo



origo famæ nondum fama est. Itaque fama non erit medium persuadendi Sceptico fidem historicam.

*An temporis
diuturnitas?*

§. 24. Neque adeo eam persuadebit temporis diuturnitas, & quod exinde asseritur *cap. 7. §. 11. & 12.* libris historicis tribui, fidem, si longissimo tempore fuerint comprobati. Sic enim, censere Mascardum & Dd. communiter, quorum plures ibidem, citantur. Præterquam enim, quod jam *§. preced. ex cap. 4. §. 1.* contrarium fuerit ostensum, parum consolabitur Scepticum excusatio *cap. 10. §. 10. & 12. quod traditiones diu pro veris falso habitæ sint, id factum esse ex quadam superiorum seculorum & securitate atque oscitantia subsequantium.* Quis enim, inquiet Scepticus, nos convincet, quod simus prudentiores & cautiores majoribus, & quod aliquando posteritas nostra de fide nostra historica non eadem dicet, quæ nos jam dicimus de fide nimis credula majorum? *Conf. autorem cap. 11. §. 21.*

*Novæ histo-
riae an fide
digna.*

§. 25. Quid quod, si temporis diuturnitas esset criterium fidei historicæ, sequeretur nulli novæ historiæ esse fidem adhibendam, de quo tamen novum dubium oriretur. Placet quidem Cl. Auctori *cap. 7. §. 17.* sententia Wesenbecii. *In iudiciis non credi historiis aut scriptis divulgatis novis, quæ non excedant hominum memoriam, & Bodini, veritatem non nisi longo & diuturno tempore in lucem erui, cum scilicet vulgi errores, adulationes & odia plane conquierunt.* Sed statim tamen addit: *Si quæ tamen historia factorum recentium edatur approbatione eorum, quorum æta memoria publica ab aliquo scriptore consecrata sint, hanc statim a primo suæ publicationis momento plenam vim probandi habere videri, ut descriptiones solennitatum in coronatione, receptione homagii, nuptiis, funeribus magnatum, & Historiam festi secularis Academiæ Julii.* Et circa hæc Scepticus proponet sua dubia. Primo mirabitur, cur, ubi de fide historica sermo est, exempla tantum afferantur talium historiarum, quæ parum utilitatis habent. Se enim id audivisse verisimiliter dictum: Magnas solennitates esse magnas vanitates. Deinde relictiis exemplis approbationem eorum, quorum historiæ scribuntur, habebit pro signo veritatis tam fallaci, ut communiter esse solet testimonium in re propria. Et quemadmodum jam supra *ex cap. 8. §. 17.* fuit adductum, quod historicus contrahat suspicionem amoris aut metus,

metus, describens res Magnatum, ita approbatio Magnatum majorem suspicionem excitabit, historiam ejusmodi esse valde adulantem. Quotus quisque enim blanditias aliorum non probat, quotus quisque approbat veritatem sibi displicentem?

§. 26. Similis ratio dubitandi erit circa novas historias de rebus antiquis. Nam si saltem temporis diuturnitate fides historica comprobatur, ineptum esset judicium Maresii, quod tamen autor Clarissimus probat *cap. 11. §. 10.* *Quod si cuilibet auctori fide digna? gravi scribenti de iis, quæ ducentis annis ante se contigerint, fides sit deroganda hoc tantum argumento, quod nulli nunc extant illo vetustiores testes rerum, quæ ab ipso narrantur, debet apud nos mutare auctoritas omnium fere Historicorum Græcorum & Latinorum? Hic reget Scepticus, viderit ipse autor, quomodo hæc secum conciliet, mihi certe non obstabunt, qui jam §. 22. ex ipso Autore fidem omnium historicorum dubiam reddidi. Nec satisfaciet forte Sceptico discursus qui sequitur *d. cap. 11. §. 11.* *Historicum pluribus seculis remotum a re quam narrat, si vetustiore narrationis sue testem nullum habeat, contemnendum, & narrationem ejus in album fabularum referendam esse. Si autem Historicus habeat ejusmodi testem, produci eum oportere. Si tamen quis testem idoneum non allegaverit, si tamen allegare potuerit, hætenus quoque fide dignum esse. Nam Scepticus quæret, unde scire possumus, quod omnes fere Historici Græci & Latini facta antiqua referentes, nec tamen ad testem provocantes, allegare potuerint testem fide dignum?**

§. 27. Magnam connexionem cum præcedentibus habet dubium vexatum circa fidem historiarum noviorum & circa argumentum negativum a testimonio humano. Argumentum scilicet negativum a testimonio humano non valere communiter asserunt. Et Maresius apud nostrum *cap. 11. §. 25.* assertio-
nem hanc eo colore confirmare nititur. *Ut plus uni oculato creditur quam decem auritis, sic plus uni narranti & affirmanti, quam decem tacentibus & silentibus est deferendum. Quidni enim istis tacentibus applicemus regulam tritissimam juris: Qui tacet consentire videtur. Hic facile indulgebit Scepticus, Maresium sententiam suam misere probasse, (conf. *cap. 11. §. 26.*) Sed tamen & dubitabit de contraria sententia auctoris *d. §. 6.* *statuentis, si qui rem melius**

perspectam habere potuerint, & tamen dum ceteras illius temporis, personarum, locique res gestas memorabiles descripserint, unam aliquam rem memoratu dignam omiserint, cum nulla argens silentii illius causa doceri queat, ex hoc sane silentio firmum argumentum negativum contra illos oriri, qui aliquot seculis recentiores, rem illam antiquo illo tempore gestam esse dicant. Putabit enim Scepticus causas silentii antiquorum semper dari posse, vel adulationem erga potentes, vel metum potentum, vel amorem vel odium, & lic regulam conditionalem, cujus conditio nunquam sit dabilis, pro regula non habendam. Igitur & hic dubium ex dubio oritur.

*Diplomata,
inscriptiones
& picturae an
demonstrent
fidem histo-
ricam?*

§. 28. Possimus ita & in reliquis pergere a Viro Clarissimo pro demonstranda existentia fidei historicae adductis, si instituti ratio id permetteret. Nam dum *cap. 7. §. 8. & 10. & cap. 11. §. 18. 23. 24.* de usu diplomatum vetustorum, & inscriptionum ac picturarum in lapidibus & tabulis vetustis pro probanda fide historica nonnulla differit, plurima hic afferri possent pro sustinendo dubio Sceptici alicujus adversus illam fidem diplomatum inscriptionum & picturarum, ut & adversus regulas dignoscendi diplomata & inscriptiones suppositas ac spurias, de quibus agitur *d. cap. 11. §. 16. & 17.* praeripimus cum ipse Clar. Autor fateatur *cap. 4. §. 3.* Si harum probationum veritas in dubium vocetur, eas aliis fidei historicae adminiculis opus habere, contra quae tamen eadem dubia formabit Scepticus, quae opposuit recensitis haecenus probationibus. Concedit etiam *cap. 11. §. 22.* Clariss. Autor, haec quoque testimonia picturarum & inscriptionum imposturam facere & pati posse, ac singulari peritia opus esse, ad ejusmodi argumenta picturata, parietina, marmorea & saxea vera a suppositis segreganda. Quae sibi sufficere putabit Scepticus ad ostendendum, inscriptiones, picturas & diplomata esse signa fallaciae fidei historicae, & regulas peritiae ejusmodi haec dijudicandi aequae fallaces esse. *Conf. Autor. cap. IX. §. 2. & cap. 11. §. 19. 23. 24.*

Historia publica an fidem historicam demonstrent?

§. 29. Eadem est ratio dispectionis de historiis publicis, utrum illae ratione fidei praerivatis privilegium habeant. Publicam autoritatem, dicit Clar. Autor *cap. 7. §. 6. 8. 9. 10. 18. 19.*, historico ad fidem ingens pondus addere, maxime in commemoratione rerum illius aevi, talia enim tum publica confessione, com-

comprobata, ab ipsis qui comprobarunt, eorumque posteris, negari haud posse, scilicet si civitas vel princeps acta sua in modo historiae vel annalium componi memoriaeque tradi mandet, & historiam recognitam publicari vel jubeat vel permittat. Non vero talem historiam habere vim probandi contra vicinam Rempublicam, si ejus quoque res gestas & jura simul attingat, nisi quando eandem cognitam vicini publice non improbarunt. Quoniam iis, qui forioribus argumentis jura sua docere possint, secure liceat contemnere scripturas extraneorum. Quare libros historiarum & chronicorum publice editos, si absque contradictione & censura correctoria manibus hominum volvi sinantur, eo ipso censei publicam fidem adipisci. Et scripturam privatam factam in columnis & lapidibus fidem plenam facere in antiquis, quando sit in loco publico & manifesto, modo non agatur de praesudicio tertii. Contentire huic doctrinae legum & canonum interpretes, item Jurisconsultos vetustos pariter & novos, commentaria, consilia & decisiones scribentes eamque approbari ab illustribus Judicii Camerae assessoribus. Quod si tamen ejusmodi historia contineat documenta publica, ut Diarium Europaeum & acta Londoni, etiam si Caesarea approbatione sint edita, non facere probationem omni exceptione majorem &c. Multa habebit Scepticus, quae contra istam sententiam afferre possit, quae tamen facile quis ex haecenus dictis praesumere & colligere potest, ut non opus sit ea cum tadio repetere.

§. 30. Denique illud effugium parum videbitur adversus *An historico* dubia Sceptici prodesse, quod Clariss. Autor *cap. 8. §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. in quibus* usurpat, quod, etsi plurimi Historicorum per imperitiam & *d. in menti* credulitatem, nonnulli quoque ex adulatione, metu, aut *enti in reli-* odio veritatem deseruerint, hoc ipso tamen reliquis ab eodem *quis sit fides* scriptore traditis non detrahatur autoritas. Neque enim in *habenda?* toto volumine historico facile locum invenire, quod falsum, in uno in caeteris fidem perdat, licet Menochius & Parisius id historicis objiciant. Nam & rationem illius brocardici, quasi scilicet fides sit individua, in historico opere cessare. Vulgatam autem hanc sententiam, quod fides scripturae sit indivisibilis

visibilis non tantum a Jctis Gravetta, Menochio & Alberico,,
 Gentili usurpari, sed etiam Augustini & Juris Canonici auto-,,
 ritate niti. At vero Augustinum & Jus Canonicum loqui de,,
 fide Sacrae Scripturae, provenientis ab autore falli nescio, nec,,
 adeo eorum dicta extendenda esse ad scripta humana tale,,
 principium infallibile non habentia, in quibus adeo fides pos-,,
 sit esse indivisibilis, & sic multo magis in historicis. Quod si,,
 tamen (ita pergit noster *cap. ult. §. ult.*) adversarius historiae,,
 alicujus allegatione causam suam instruat, eo casu longe po-,,
 tentissimam esse vim & fidem ejusdem, neque posse tunc ad-,,
 versarium adversus dissentientem eadem historia utentem,,
 allegare fidem historiae esse dividuam, sed hoc casu etiam fidem,,
 historiae pro individua habendam., Quam multa enim sint
 quae Scepticus sententiae huic Viri Clarissimi huc illuc fluctuanti
 opponere possit, prudenti Lectori facile apparebunt.

*Fidei histori-
 cae existenti-
 am demon-
 strari non
 posse.*

§. 31. Ergo si fatendum quod res est, etsi forte Viro Cla-
 rissimo non defuturae sint exceptiones adversus dubia contra ejus
 demonstrationem pro existentia fidei historicae allata, natura
 negotii, de quo agitur, nos cogit, ut ingenue profiteamur, ex-
 istentiam fidei historicae contra negantem Scepticum certis dem-
 onstrationibus ostendi non posse. Cum enim fides historica
 tota, quanta quanta est, in verisimilitudine fundetur, verisimili-
 tudo autem & veritas certa sint distinctissima, demonstratio vero
 fit veritatum certarum, cuilibet evidens erit, fidem historicam
 sub demonstrationem non cadere. Adeoque Virum Clarissimum
 in principio impegisse putamus, quod susceperit demonstratio-
 nem rei ad objectum demonstrationis non pertinentis. Potius
 in hac quaestione illud cogitandum fuisset, prudentiores jam ob-
 servasse, quod adversus Scepticos certissimas veritates negantes,
 non sit disputandum, tanquam contra negantes principia omnia
 veritatis. Quod si autem contra Scepticos disputandum non
 est, etsi mediis demonstrandi ubique sumus instructi, saltem
 ideo, quod nullum principium ab eis concedatur, omnis vero
 disputatio genuina ex concessis fieri debeat, multo minus di-
 sputandum erit adversus eos, qui negant omnem verosimilitu-
 dinem, cum hic insuper demonstrationes omnes deficiant.

§. 32. Quid

§. 32. Quid ergo faciemus? An totam nostram disputationem propterea expungemus, tanquam de re conscriptam, cujus existentia sit dubia atque incerta? Absit. Quin potius postulamus & jure quidem nostro, dari fidem historicam eamque existere, neque unquam præsumendum esse, reperiri, aut reperiri saltem posse hominem sanæ mentis, qui audeat, eam in dubium vocare. Et ne quis postulatam hoc nostrum impudentiæ aut stultitiæ postulet, justitiam ejusdem breviter sic ostendimus. 1. Adversus Scepticos quosvis jure postulatur, dari veritates certas. 2. Hoc ipso vero jure postulatur, dari oppositum veritatum certarum, certas videlicet falsitates, seu assertiones impossibiles. 3. Cum vero apertum sit, inter certo verum, & impossibile multa & infinita media dari, sequitur etiam, quod jure postuletur dari infinita verisimilia & veridissimilia. 4. Hoc ipso vero jure postulatur, dari in multis casibus fidem historicam, dari etiam in multis casibus ejus oppositum, incredulitatem puta historicam. Quod autem nemo de fidei historice existentia dubitaturus sit, sic monstramus. Quis dubitaret, si quisquam dubitaret, nisi Scepticus? At Sceptici nunquam de existentia verosimilitudinum dubitarunt, sed solum de veritatibus certis. Et cum eorum responsiones nunquam fuerint, nego, affirmo, sed, nescio, & sæpe, credo, non credo, aut forte, vel forte non &c. patet Scepticum salvis suis principiis negare non posse existentiam omnis fidei historice. Igitur oporteret esse plus quam Scepticum, si quis auderet, omnem fidem historicam in dubium vocare. Ejusmodi vero homo relinquendus esset insanienti huic sapientiæ, non frustra nea opera in ejus convictione impendenda.

§. 33. Dum vero postulamus, dari fidem historicam, si- mul postulamus, dari fidem juridicam stricte dictam seu judiciali, tanquam speciem fidei historice. Si quis hanc negaverit, quod etiam per impossibile fingamus, nec cum hoc disputandum erit, sed, si forte judex sit, simpliciter ei suadendum, aut etiam jure adigendus erit, ut officium judicis, quod sine fide juridica esse nequit, deponat, & conscientie suæ erroneæ ac scrupulose prolubitu indulgeat, donec præjudicia & intellectus

Postulandum esse simpliciter, dari fidem historicam.

Similiter postulandum, dari fidem juridicam.

& vo.

& voluntatis, tanquam genuinos fontes omnis conscientiae erroneae ac scrupulosae deposuerit. Iudex enim debet esse vir bonus, h. e. a praedictis intellectus & voluntatis liber.

*Facta pro-
banda iudici,
non iura.*

§. 34. Jam ergo in ordinem redeamus, ostensuri videlicet convenientiam fidei judicialis & historicae. Utraque harum circa facta & actiones humanas singulares versatur, non circa axiomata, & sic utraque differt a fide philosophica. Ex hoc vero sua sponte fuit, quod parum apte advocati faciant, dum communiter magis allaborant ut jus, quam ut factum probent. Jura enim finita & certa sunt *l. 2. de Jur. de fact. ignorantia* eaque iudici cognita esse oportet, cum aliter officium suum exercere nequeat *pr. Inst. de off. Jud.* Jus igitur allegatur, non probatur, etsi populariter etiam probandi verbum ad disputationes juris & commutationes argumentorum referatur. Quanquam & circa Leges, an earum usus alicui prohibitus, an illis renuncietur, facti quaestiones ac ita probationes locum habere posse non est dubitandum *l. 5. pr. ff. de probat.* Saepe etiam ignorantia iudicum postulat, ut jus probetur, non tamen tum jus sed factum in controversiam venit, nempe an princeps tale jus constituerit, vel an jus constitutum sit usu receptum &c.

*Quoad regu-
las fidei iuri-
dicae distin-
guitur inter
Principem &
Iudicem.*

§. 35. Deinde & cum fide historica in eo convenit, quod in plerisque fides iudicis non sit adstricta ad regulas certas, rursus in eo differt, quod in multis regulae certae praescriptae sint iudici, quas transgredi huic non licet, cum tamen in fide simpliciter historica talis adstrictio cesset. Adeoque iudex prudens ante omnia regulas verosimilitudinum generales & speciales observationes de fide historica paranda probe callere debet, insuper vero etiam instructus esse debet notitia regularum, quae solum in fide judiciali locum habent, atque ob rationes infra dicendas a legislatoribus illorum officio praescriptae sunt. Hoc vero ut plenius intelligatur distinguendum erit ante omnia inter iudicem summum seu Principem, & inter iudicem inferiorem sive iudicem simpliciter ita dictum.

*Princeps nul-
lis certis re-
gulis adstri-*

§. 36. Princeps cum neminem habeat, cuius imperio sit subjectus & qui regulas speciales ipsi praescribat, suo arbitrio omnia agit, tam quoad processum, quam quoad modum probandi

bandi facta dubia. Ergo sola conscientia ejus, rite tamen informata & præjudiciis affectuum & præcipitantia aliisque vacua norma ejus est, cui nulla acta & probata juste opponi possunt, cum non sint probata, si conscientia ejus repugnet, etiamsi illa probatio alias intuitu judicis inferioris ad normam humanam adstricti majorem effectum fortiretur. Leges enim illas Princeps non sibi, sed subditis præscripsit, nec tenetur rationem aliis reddere de justitia factorum suorum, uti iudices inferiores ad id obstricti sunt, nisi in quantum subinde prudentia ipsi suadet, melius esse, si & subditis appareat, Principem absque affectibus egisse, quod tum maxime fieri potest, si ipse sponte se iisdem legibus accommodet, quæ iudicibus etiam præscripsit. Quamvis vero ostensum fuerit capite præcedenti, ob infinitas circumstantiarum variationes non posse regulas verisimilitudinis in puncto determinari, sed prudentia cujuslibet fidem historicam esse relinquendam, poterunt tamen circa fidem historicam si non regulæ, saltem observationes quædam formari, quarum usus, etsi se non extendat ad verisimilitudinem ubique obtinendam, sæpe tamen illæ proderunt ad credulitatem evitandam, quarum adeo nonnullas, sed præcipuas saltem, exempli loco afferemus, tum de historia ipsa, tum de mediis ad fidem historicam facientibus. Seligemus vero tales, quæ partim quotidiani usus sunt, partim etiam auctoritate & multitudine errantium pro talibus falso jaçantur.

§. 37. Quod historias ipsas attinet, quarum & in probatione judiciali quandoque ratio est habenda, solent inter se comparari a quibusdam historia publicæ & quæ arcanæ dicuntur, quales sunt anecdota Procopii, les anecdotes de Florence, les anecdotes de Pologne &c. atque fides major in dubio, aut concursu, historiis publicis, quam arcanis tribui. Laborat fere perpetuo hocce præjudicio Eichelius in notis ad anecdota Procopii, cujus tamen exemplum si solum fuisset, nos forte ad observationem hujus nævi non commovisset, cum is Autor in tota illa disputatione adversus Procopium & Nicolaum Alemannum fere ubique apertum Sophistam agat. Sed cum observaverimus, Virum alium Celeberrimum sententiam illam, rationibus de-

H

fendere

*Etus est, notæ
tamen obser-
vationes ad
evitandam
credulitatem.*

*Historias pu-
blicas non
major fide
dignas esse
quam arca-
nas.*

fendere voluisse, dignam rem esse putavimus, de qua dispi-
ceremus.

Historia pub- §. 38. Ita vero hic in *præfat. ad Codicem juris Gentium diplomat-*
lice officium Initio de natura utriusque historię quædam præmittit: *Dne*
esse, nil falsi sunt historia leges, sed que equaliter observari ambe in utroque histo-
scribere, ar- *ria genere non possint. Nam Historia publicæ esse, nihil falsi dicere;*
cana, nil veri Arcana præterea, nihil veri non dicere, ut illa uno pede claudicare videa-
non scribere. *tur. Sed ita postulat ratio rerum, & quemadmodum in forensi contro-*
versia multa per litigantes & sollicitatores sunt apud iudices, que nu-
spiam apparent in scripturis, neque in acta referuntur; cum & fami-
narum blanditia & auri splendor sæpe plus legibus & testimonis vate-
ant; ita pleraque latent in potentum actis, causisque negotiorum, præ-
sertim cum sæpe exigua & non observata majorem opinionem vim habe-
ant. Sic forte vox falsior relata vel ficta Principis aut rerum Mini-
stri animum pupugit; aculeumque reliquit; unde occulti stimuli odio-
rum & vindictæ, quasi in speciem coloribus velati. Et non raro ma-
gnas rerum motus excitat generosum pectus, ideo tantum, ut nescio
quid refutet, quod in sui contemptum traherat. Sæpe etiam unam no-
ctem principis male dormientis & inde consilia acerba ex præsentis animi
vel corporis habitu capta, mox multa millia miserorum suo sanguine lue-
runt. Interdum muliebri impotentia, maritum vel amatorem im-
pellit; sæpius affectus ministrorum in Dominos contagio transferuntur.
Et fatendum est, ut in scenico opere machinas apparere indecorum esset;
ita historiam aliquando nonnihil de pulcritudine amissuram; si causæ
veræ semper cernerentur, appareretibus Heroas subinde, puerili studio,
aut muliebri libidine, aut etiam servili cupiditate egisse. Scilicet ho-
minum gesta legimus, non Deorum; & sufficit ad decus ipsorum & do-
cumenta posterorum, multa graviter & fortiter & sapienter acta extare.
Præva exempla interdum rectius ignorantur.

Historias pu- §. 39. Enimvero ista sententia, quasi historia publica saltem
blicas etiam contenta esse debeat, ne nihil falsi dicat, unde originem sumserit
nihil veri o- nescio. Id scio, Ciceroni eam fuisse incognitam de omni historia
mittere de- asserenti lib. 2. de Orat. c. 15. *Primam esse historia legem, ne quid falsi*
bere. *dicere audeat; deinde, ne quid veri non audeat, neque suspicio gratiæ*
fit in scribendo neque simultatis. Verum enim historicus dicere
debet. Mendacium autem non solum est, si quid falsi dicatur,
sed

sed & si quid veri omittatur. Igitur non solum non plus quam verum est, dicere debet historicus, sed & nec minus quam verum est. Nulla vero, posita sententia adversa, inter historicum & oratorem esset differentia. Oratoris est, & potissimum panegyristæ, causam clientis sui ita defendere, & laudes alterius ita cantare, ut tamen nihil falsi dicat, sed saltem ut multa vera taceat causæ clientis non faventia, aut ad laudem nihil facientia. Imo hoc pacto historicus ab aperto adulatore non differret, cujus ars potissima in eo consistit, non ut aperte falsa nobis in faciem dicat, sed ut taceat aut minuat defectus nostros, ac commemoret saltem & extollat umbras perfectionum nostrarum. *Conf. Vossium de Arte Historica c. 9.*

§. 40. Utrum vero ex regulis fabularum Comicarum & machinæ scenicis officium historici deduci vel illustrari possit, alii viderint. Delectationem intendunt Comici, quam sine deceptione aliqua non assequerentur. Prodesse vero debent historici, non delectare sensus. (Quod enim & Poetæ dicantur prodesse velle, erudite refutavit nuper profunde eruditus Clericus in Parrhasianis.) Neque historico esse debet historicus, sed Vir gravis.

§. 41. Quod si Vir Celeberrimus non ex eo ostendere voluerit differentiam, quid in Historia publica & arcana fieri possit aut debeat, sed quid in utraque fieri soleat, facile consentiremus. Pleræque enim historiarum publicarum continuis laudibus abundant, forte nihil falsi dicentes, sed tamen jam eapropter a prudentibus notatæ, quod multa vera taceant. Notabilia sunt verba Bodini *cap. 4. Meth. Histor.* Neque eas historias probare possum, quæ perpetuas laudes ac virtutes ejusdem, nulla vitia commemorant: cum nullus sit tanta integritate & prudentia, ut non sepius offendat. Nam Eginhardus & Acciajulus Carolum M. Eusebius Constantinum, Nebrisenfis Ferdinandum, Jovius Cosmum Medicem, Philostratus Appollonium, Procopius Bellisarium, Staphylus & Leva Carolum V. Imperatorem tantis laudibus cumularunt, ut Oratores, non Historicos agere videantur. Ergo prudens existimator, laudes cujusque non domesticorum aut amicorum duntaxat, verum etiam hostium ponderibus examinet. Neque omnia Philippo Comineo de Ludovici XI. laudibus scribenti assentietur, sed etiam Meierum, Belgicarum rerum scriptorem

Alegibus Comici ad officium historici non apte inferri.

Historias publicas sæpe in omissione veri peccare.

adhibebit. Neque hunc tantum, verum etiam Paulum Æmylium, propterea, quod unus quidem plenus est Ludovici laudibus, alter eas omnino rejicit; tertius medium ferit. Contra arcanae historiae autor, dum nihil veri non audet, plerumque factis historiarum publicarum Heroibus larvas detrahit, eosque infantiores pueris, molliores fœminis, nequiores mancipiis fuisse subinde ostendit.

*Cause, cur
arcana histo-
ria minor fi-
des adhiben-
da, quam
publica.*

§. 42. Quis autem ex dictis non putaret sua sponte sequi, quod arcanarum historiarum scriptores præ scriptoribus historiarum publicarum majorem fidem mereantur, sive jam historiae publicæ saltem de facto potissimam veri legem omittant, sive de jure. Cum enim ipso Viro Celeberrimo fatente, historia publica propterea uno pede claudicare videatur, quis non præferret fidem integram fidei claudicanti. Sed placuit tamen eidem Celeberrimo Autori in verbis statim sequentibus fidem historiarum arcanarum suspectam reddere, & quod tamen majorem fidem inveniant, casui potius quam rationi adscribere. Ita enim pergit: *Itaque nec facile fides illis adhibenda est, qui de Principibus indigna narrant, sed occultiora quæ a paucis nosci possunt, nec libenter a noscentibus memoria commendantur, (qualia fiunt communiter in historiis arcanis.) Et tamen cum adulatoribus parum credatur, satyram scribentibus nimis prona præbentur aures. Et sunt historici, qui peiores representant homines, quam fuerunt, his tamen scriptoribus etiam commenta ingenii perinde ac si interfuissent, narrantibus, humana malignitas & occulta in potentes invidia auctoritatem facit.*

*Offenditur,
causas illas
non connexas
esse cum
dictis præcedentibus.*

§. 43. Hic initio non video, quomodo illud itaque, si cum proxime præcedentibus connectatur, aliquid inferat. Non sequitur: *Prava exempla interdum rectius ignorantur, itaque prava exempla ab historicis arcana revelantibus non sunt vera; sed ita: itaque talia non prudenter aut indecore narrantur. Imo inverto ex paulo antecedentibus. Si illa cause sæpe veræ sunt, ex quibus apparet, Heroas subinde puerili studio, aut muliebri libidine, aut etiam servili cupiditate egisse, uti asserit ibidem vir Celeberrimus, itaque Historiae arcanae Heroibus talia studia, tales libidines, tales cupiditates tribuentes, sæpe veras causas narrant, & adeo facile fides illis adhibenda est.*

§. 44. Dein-

§. 44. Deinde non sequitur: *Historicis publicis tanquam adula-* *Nimia credu-*
toribus parum creditur, & satyram scribentibus historiis arcanis nimis litas in histo-
prona præbentur aures: Ergo non facile fides illis adhibenda est; *rias arcanas*
 sed ita potius inferendum erat: Ergo prudens lector operam *propendens,*
 dabit, ut ex adulantibus historiis publicis, & rodentibus historiis *his fidem non*
 arcanis ea, in quibus utraque conveniunt, fundamenta verifi- *tollit. Osten-*
 militudinis ponat, ex quibus postea illa, in quibus arcanæ & *fito. cur his*
 publicæ historiæ dissentiant, dijudicet, utra magis cum funda- *plus creden-*
 mentis illis conveniat nec ne. Sic vero plerumque deprehen- *dum, quare*
 det, majorem fidem adhibendam esse arcanis historiis, Principes *publicis.*
 ut homines depingentes ad malum pronos, & sublatis ob po-
 tentiam summam impedimentis facile in actiones externas
 erumpentes, quam historicis publicis, Principes ut Deos adum-
 brantes. *Scilicet, ut Vir celeberrimus paulo ante dixerat, homi-*
num gesta legimus, non Deorum. Homines autem, si non speciali
 gratia divina, aut metu pœnæ retineantur, ad omnes malitias
 proni sunt, & pejores actiones edunt actionibus bestiarum &c.

§. 45. Ex dictis etiam facile defendi poterit Tacitus, *qui Fides Taciti*
 notante Dn. Eisenharto *cap. II. §. 5. apud nonnullos male audit, quod* *insufficienter*
Cæsarum, qui ante ipsius natales defuncti erant, occultas animi cogita- *in dubium*
tiones, consilia, inclinationesque describere ausus omnia pejorem in partem *vocata.*
interpretatus sit, nec fere quicquam ingenui candoris veræque virtutis
illorum plerisque suo quidem iudicio reliquerit. Et si enim autores,
 quos citat, nempe Albericus Gentilis *de armis Rom. lib. 1. cap. 1.*
 Casp. Scioppius *disp. de natura historiae & historici officio.* C. A. Ru-
 pertus *obs. ad Synops. Besoldi seu historiam univ. c. 14. in vita Tiberii*
p. 281. non sint ad manus, nec tempus supersit eos evolvendi, ipsæ
 inculpationes tamen, & quod alii scriptores de Tiberio & reli-
 quis principibus, quorum res gestas Tacitus describit, narrant,
 mox ostendunt, quod Tacitus ideo saltem male audiat, quod
 non more aliorum historicorum adulari voluerit, & quod ex
 prudentia philosophica, qua præditus esse deberet omnis histo-
 ricus, de hominum malorum, quorum naturam ex factis noto-
 riis cognitam habebat, consiliis & intentionibus conjecturas ve-
 rosimiles afferre voluerit. Ut adeo non dubitem, æquali successu
 Tacitum hic defendi posse, atque jam contra alias Vopiscæ,
 H 3 Tertul-

Tertulliani, Alciati, Ferreti aliorumque censuras id præstiterunt Bodinus *Metb. Hist. cap. 4. p. 84. seq.* & Muretus *Vol. 2. Orat. 14.* Utrum vero Scipionis Claramontii liber de conjectandis cujusque moribus (ineptus alias ad usum humanum & inanibus saltem speculationibus refertus libellus,) ad defensionem Taciti multum collaturus sit, ut putat Dn. Eisenhartus *d. l.* aliis discutiendum relinquo.

*Historia quo
gradu verosimi-
litudinem
pariant.*

§. 46. Sed pergendum. Historia utraque tam publica quam arcana raro summum verosimilitudinis gradum in animo legentis excitant, plerumque medium, sæpe etiam infimum, ut in plurimis rebus cautus lector judicium suum suspendere cogatur, ac nesciat, quid credere debeat, quid non. Verosimilitudinum enim summus gradus supponit, historicum nec esse ab aliis deceptum, nec alios decipere voluisse. At quot modis fieri potuit, ut historicus bona fide falsa narret? quam sæpe fit, ut ea se vidisse & audisse dicat, quæ ipse non vidit nec audiit? In multis publici historici de adulatione aut intempestivo amore, in non paucis scriptores historiarum arcanæ de odio sunt suspecti. Sæpe utraque pars contradicentium connectit non male, ac in multis circumstantiis consentiunt, lectori vero conjecturæ deficiunt judicandi, utra ex circumstantiis, in quibus dissentiunt, vera sit, quod exemplo Mariæ Stuartæ facile declarari potest, de quo jam quædam anticipavimus *cap. 1. §. 60. & 61.*

*Maria Stu-
arta an no-
cens an in-
nocens?*

§. 47. Factorum circumstantias plerasque, ex quibus suspicio contra Mariam Stuartam de variis criminibus a Georgio Buchananano inculpatam, ab Oberto Barnestapolio & aliis defensionem, oriebatur, & Buchananus & defensores Mariæ fatentur. Buchananus vero ut mendax a defensoribus accusatur ob odium in Mariam tum propter religionem tum aliis ex causis. Similis odii erga Elisabetham suspecti sunt defensores Mariæ. Buchananus in accusatione Mariæ plerumque nimis panegyricæ, id est, palpabiliter adulatorie de ea loquuntur, ut Martyrem Ecclesiæ prædicantes, sed tamen & Buchananus poterat odium suum prudenter dissimulasse, & plerumque gravius nocent, qui modeste & sub specie laudis accusant. Utraque pars circumstantias recenset inter se non male connectentes. Potissimum momentum in eo situm

situm est. Buchananus *lib. 17. hist. Scot. p. 583.* & passim ei tribuit ingenii elegantiam, minime sinceram, sed ad honesti similitudinem adumbratam, uno verbo dissimulantem astutiam. Defensores contra a nimia & credula bonitate eam deprædicant, h. e. simplicis ingenii eam fuisse asserunt. Buchananus Jacobum fratrem ut hominem prudentem ac virtuosum & reginæ sine causa exosum delineat, defensores Mariæ contra ut sceleratissimum & foris bonitate ubique abutentem commendant. His duabus contradictoriis circumstantiis singulæ partes reliquas circumstantias apertas ita cum artificio aptant, ut non facile appareat, utra mendacium dicat. Si viverent Regina & Jacobus frater, si eorum actiones observandi potestas daretur lectori, clavem facile inveniret, clare perspicendi, ab utra parte staret veritas. At his mediis deficientibus nullum fere dubiorum exitum deprehendet. Deprehendet tamen forte, si attente legerit historiam arcanam Jacobi Melvilii Reginæ Secretarii, (Memoires de Jaques Melvil) viri prudentis, & absque ulla nota odii erga Reginam aut amoris erga Elisabetham scribentis. Hic etsi sincere describat characterem Buchananii *p. 392.* ut hominis Stoici non multum solliciti de futuro, jucundi in conversatione, & salibus satyricis abundantis, ceterum in præjudicia autoritatis proni & inconstantis, ac nimis creduli, & vindictæ cupidi; etsi semper cum summa reverentia de Regina loquatur, ex ejus tamen narrationibus non difficulter apparebit, non habere causas verosimiles defensores Reginæ, quod a cæde Darlana & aliis criminibus sit innocens, neque tamen tanta astutia Reginam fuisse præditam, qualem ei tribuit Buchananus, sed fuisse fœminam, h. e. cupiditatibus voluptatum & regnandi deditam, inconstantem, & vindictæ nimium operam dantem &c.

§ 48. Uti vero historiarum publicarum per se fidem historicam non pariunt, ita & acta publica raro summum verosimilitudinis gradum evincunt, cum non sit infrequens, & hic subinde suspiciones innumeras falsitatis ex circumstantiis maxime verosimilibus oriri posse, lectorem adigentes, ut sæpe & horum fidem dubiam aut minus verosimilem æstimet. Sumitur autem vox actorum publicorum vel pro pactis aut diplomatibus publicis vel pro actis

Actorum publicorum fides quanta?

actis judicialibus. De utroque horum generum observationem nostram intellectam volumus. Etsi enim quoad primam classem modo laudatus Vir Celeberrimus in *Prefat. ad Cod. Jur. Gentium* dissentire videatur, talium actorum publicorum tabulas pro parte historiae certissima venditans, quae non solum lectori profint ad cognoscenda rerum gestarum potissima momenta, ad intelligendas artes Politicas, historiam item & eruditionem reliquam, imprimis vero ad intelligenda gentium jura; sed etiam ad explorandas fabulas communiter pro veris historiis habitas; vel exemplum tamen a Celeberrimo Autore subjectum ostendit, quam fallax sit ista assertio, si universaliter, aut saltem secundum id, quod plerumque fieri solet, intelligatur, & quod potius observatio nostra illustrationem non modicam inde nanciscatur.

Fides historica de morte Henrici VII. Imper. Rom. Opinio, inquit, invaluit, Henrico VII. Imperatori venenum fuisse datum in sacra Eucharistia. Sed Epistola filii Johannis Regis Bohemiae in Henrici VII. ad ipsum scripta Dominicanos absolvit, quam Stephano Baluzio debeo, excellentis doctrinae viro, cum eam jam in MSto quodam Chronico vidissem citari. Refertur illa Epistola in *Cod. Jur. Gent. n. 87. fol. 188.* Utrum vero Epistola haec valeat adversus nubem testium & historicorum fide dignorum, & annon potius pro instrumento a Dominicanis ultra triginta annos post mortem Henrici artibus Monachalibus fraudulenter emendicato, seu stilo Jure-Consultorum sub- & obreptitie impetrato habendum sit, illi judicent, quibus artes nefariae & scelera impia monachorum nota sunt. Conf. omnino Gottfr. Arnoldi *Kirchen-Historie lib. 14. c. 1. §. 1.*

Actorum judicialium fides.

§. 49. Acta judicialia quod concernit, fere quotidie Collegia Juridica deprehendunt, non solum, quod partes conquerantur de iniquitate judicum tam extra acta quam in actis commissa, sed & quod saepissime acta ipsa, potissimum in criminalibus, loquantur de animositate, odio & aliis affectibus judicum. Et fere quovis pignore certare ausim, in processu inquisitorio contra delicta occulta quavis ex centum casibus vix unum reperiri, ubi fundamentum inquisitionis non nitatur vel inimici denunciatione, vel inimicitia ipsius judicis, sine omni causa legitima inquirentis. De inquisitionibus aulicis nil seorsim monebo, quia de his monere periculosum est. Licebit tamen

tamen ex antiquioribus temporibus provocare v. gr. ad inquisitiones vel accusationes, quarum solus Tacitus meminit. Quot rei ibi per acta publica condemnati? Quot vero ibi simul innocentes injuste condemnatos fuisse circumstantiæ historicæ ostendunt? Illis tamen casibus acta publica summum fidei gradum obtinent, quoties apparet ex illis iudicum iniquitas, & hac non obstante, rei innocentia. Insanus enim tunc esset, si quis tum contra acta publica anilibus fabulis, v. g. in itinerario ab homine inimico & nulla alia ex re nisi ex sancta impudentia commendabili collectis fidem habere vellet.

§. 50. Circa Archiva varium etiam præjudicium esse solet: *Archivorum fides quantæ?* aliis nimiam autoritatem iis tribuentibus; aliis contra nimium eorum fidem supprimentibus, atque plus historiis ab iis, qui negotiis ipsis interfuerunt, conscriptis tribuentibus. Jam cum in genere omnes propositiones comparativæ facile in utramque partem disputari possint, ac adeo frequenter Oratoribus themata præbeant, artem oratoriam ostentandi, & quæ modo pro hac parte differuerunt, pro altera iterum differendi, mallem & hic, neutri parti magnam fidem in universum tribui, & neutri etiam omnem fidem in universum derogari. Non diffiteor, ab iis, qui negotiis ipsis intersunt, historias cum successu conscribi posse, si modo ipsi ad negotia illa adhibeantur, & nullæ circumstantiæ negotiorum ipsis ignotæ maneant, & si postea sincere ea narrare velint. At cum sæpissime contingat, ut non omnes, qui participes sunt negotiorum, omnes circumstantias vere cognoscant, sed sæpe & ipsi decipiantur, porro vero, circa descriptionem negotii vel ideo, quod partes sint, qui eam suscipiunt, lector circumspexit esse debeat, ne nimis credulus sit, sed verosimiliter præsumat, nonnulla aliter narrata esse, quam contigerunt, nonnulla etiam omissis quibusdam circumstantiis esse proposita; facile patet, quam cautus hic lector requiratur, & quod raro tales historiæ summam fidem ubique mereantur, sed contenti esse debeant scriptores, si fidem mediam obtinuerint in iis, ubi generales regulæ fidei philosophicæ & historicæ lectorem non urgent, ut fidem eorum

rum suspectam habeat. Archiva vero cum contineant relationes eorum, qui negotiis interfuerunt, & quæ tractatus subsecuta sunt pacta & conventiones, facile patet, quod de ipsis pactis quidem & eorum instrumentis raro soleant oriri dubia, de antecedentibus vero & consequentibus, a quibus maxime interpretatio tabularum publicarum dependet, eadem cautiones sint observandæ, quas modo memoravimus de historiis scriptis ab iis qui negotiis ipsi interfuerunt. Hinc talia archiva publica, si ex iis historiæ scribantur, tamdiu fidem apud lectorem imo & apud iudicem, si controversia sit inter ipsos Principes, merebuntur, quamdiu ex aliis facti circumstantiis non justum oriatur dubium. Quodsi archiva archivis contradicant, illud majorem fidem merebitur, quod connexioni circumstantiarum maxime convenit. Quodsi id non appareat, neutrum pro verosimili, sed utrumque pro testimonio in causa propria habendum, & res ignota manebit, & lector iudicium suum suspendet, iudex vero pronuntiabit, sibi non liquere. Nam quod in causis privatorum archiva magnam fidem habeant, ratio aperta est, quia tum non testantur in causa propria, sed de negotiis aliorum, & quia, dum magistratus privatorum contractus confirmat, regulariter non adsunt causa præsumtionum, cur falsi quid committere voluerit, cum in ejusmodi causis principis vel alterius magistratus neutra ex parte interfit.

Fama & communis consensus historicorum qualem fidem præstent?

§ 51. Fama, etiam diu continuata, per se non efficit verisimile in summo gradu. Idem dicendum de consensu communi historicorum etiam diu continuato. Quam multa enim possint hic utrobique intervenire fidem dubiam facientia, jam supra §. 20. seqq. præoccupavimus. Producet tamen fama & consensus historicorum verisimilitudinem mediæ gradus, seu præsumptionem veritatis, si modo conveniat cum circumstantiis aliis verisimilitudinis desumptis a persona, re, loco, tempore &c. Quodsi enim his circumstantiis repugnet, pro diversitate circumstantiarum modo infimum verisimilitatis gradum obtinebit, modo res pro plane & valde verodisimili habebitur. Ita v. gr. miracula Francisci, etsi fundetur in fama & consensu plurimum scriptorum, nullam

nullam tamen apud sapientes inveniunt fidem. Ita relatio de morte Gustavi Adolphi Regis Sueciz in Theatro Europæo & ab aliis passim historicis descripta & diu continuata tamdiu fidem nacta est, donec verisimiliora docuerit Illustr. Pufendorffius. Exinde vero sua sponte fluit alia observatio, communiter in praxi fidei historicæ neglecta, etsi a multis jam inculcata. Quoties historicus aliquis rem ex relatione aliorum per fertur, dicitur &c. refert, toties res vix est verisimilis, nisi narratio illa valde conveniat cum genio hominis, cujus factum narratur, & aliis circumstantiis.

§. 52. Ita, ut exemplum ex jure nostro depromamus, *Pseudo miraculum ex l. 1. ricorum, Jctorum, Theologorum meruit fabula evidens & palpabilis, quasi orthodoxi quidam quibus ab Honoricho Vandalorum rege Arriano linguæ radicitus excisæ fuerint, miraculose tamen loqui potuerint. Provocatur communiter ad Justinianum l. 1. princip. C. de offic. pref. prat. Africa, verbis: Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguas suas miserabiliter loquebantur. Item ad Procopium l. 1. de Bello Vandalico aliosque. Vid. Cujac. Observ. lib. 19. c. 7. Niceph. Hist. Eccles. l. 17. cap. 11. Nugæ. Fabulam istam non probant verba Justiniani. Philomela apud Ovidium abscissa lingua scelus Leviri linteo intexebat. Loquebatur ergo linteum nefandum scelus, sine lingua, sed & sine voce & miraculo. Dicimus: res ipsa loquitur: Sanguis Abelis clamat. Utrumque rursus sine voce & miraculo. Innuit id epitheton: miserabiliter loquebantur, scilicet voce inarticulata, mugiente vel ululante. Forte & hæc ratio est, cur Pacio istud miserabiliter non placeat, sed malit legi mirabiliter. Neque credo, Procopium aliter voluisse. Volaterranus utique locum, unde Nicephorus & alii forte fabellam hanc hauserunt, vertit, quod isti viri imminuta voce, ἀνελασφῶς τῆ φωνῆ a Procopio deprehensi fuerint, non, ut Cujacius & Nicephorus, clara voce loquentes. Similiter, quæ Nicephorus exponit, quod quidam post mixturam cum fœminis vocem hanc miraculosam omiserint, Volaterranus reddidit, quod illi saltem linguas perdiderint, qui conscii*

fuiſſent mixtionis Honorici cum concubinis. Judicent Græcæ linguæ me peritiores. Mihi ſane Volaterrani verſio probabilior videtur. Monachis vero talia referentibus non credo, ſed cum doctiſſimo Spanhemio *in Epit. Iſag. in Hiſt. Eccleſ. Sec. 6. c. 13. §. 6. p. 291.* inter memorabilia ſeculi Juſtiniani refero infinitas fabuloſas narrationes de miraculis variis ibidem recensitis. Quæ inter etiam illud, noſtro non abſimile, memorat, de abſorptis profunda voragine, qui ab Arianis eſſent rebaptizati. Similis fabula refertur eodem ſeculo, quod in nova conſecratione templi Arianis ademti diabolus ſub forma porci evolaverit. *vid. Arnoldi Kirchen-Hiſtorie lib. 6. c. 2. §. 6.* Rationem quæris, cur has fabulas non credamus? Quia videlicet nunquam Deo placuit fides formularia, multo minus placuerunt Ei rixæ Cleri de tali fide, ut eas miraculo dignatus fuiſſet.

Taciturnitas
ſcriptorum
coævorum an
fidem facti
minuat?

§. 53. Jam ruruſus ad obſervationes. Taciturnitas ſcriptorum coævorum factum, de quo loquuntur recentiores, reddit valde verodiſſimile. Ita cauiores hiſtorici, ex hoc fundamento negant unquam fuiſſe Ebionem, item factum illud fabuloſum, de Johanne ex balneo, in quo Cerinthus lavabat, exeunte. Ita Spanhemius *d. l.* Merito etiam habentur in fabulis a viris emunctioris naris Belifarîi cæca mendicitas, uti Narſetis ſemiviratus, Procopio, Agathia & probatoribus hiſtoricis tacita. Modo tamen non adſit cauſa ſuſpicandi, quod coævi tacerint ex metu juſto, aut aliis rationibus. Quo caſu facta talia ob taciturnitatem coævorum vix verodiſſimilia redduntur. Unde nos quidem credimus, fabulam non eſſe, quæ de Johanna Papuſta recensetur.

Teſtium
fides.

§. 54. De teſtibus obſervamus, iis credi ſi & ſciant quid dicant, & non decipere velint. Hinc non facile creditur teſti de auditu, quia decipi potuit, niſi in iis quæ de auditu proprio deponit, & quæ ad auditum pertinent, hæc enim ſcit. Si vero non infinita eſſent irritamenta, homines alias natura ad malum jam pronos, illiciti ad mentiendam, uni teſti ſcientiæque in judicio fides haberi poſſet, ac uni hiſtorico, de iis quæ ipſe vidit, deponenti, ſi circumſtantiarum negotii verofiſſimilitudinem ſimul ſuauderent. At cum in judiciis omni ævo teſtes ſæpiſſime fuerint corrupti,

corrupti, æquitas postulavit, ut uni testi non credatur, sed ut minimum duobus vel tribus testibus fides fiat judici, ut ex eorum convenientia in testimonio dicendo aliisque ex circumstantiis infinitis, puta ex vultu, gestu, promptitudine aut hæsitatione &c. appareret, utrum fides iis habenda sit, nec ne. Unde prudentissime rescripsit Imperator Hadrianus Junio Rufino l. 3. §. 3. ff. de testibus. *Nosti quæ crimina objecerit apud me Alexander Apro, quem, quia non probabat, nec testes producebat, sed testimonis uti volebat, quibus apud me locus non est, (nam ipsos interrogare soleo,) remisi ad provinciæ Præsidem &c.* Ergo hic utrumque oculum semper habebit iudex ad circumstantias facti, non primario respiciet ad numerum testium, neque etiam ad eorum dignitatem, sed sæpe uni non jurato plus credet, quam tribus juratis, etiam perjuro alias & facinoroso credet; sæpe plus credet rustico honeste viventi, quam tribus hominibus in magna dignitate constitutis. Vilitatem personarum non ex carentia dignitatis, sed ex vitæ genere æstimabit, utrum leno quis sit, utrum aleator, utrum caupo, utrum potantibus intemperantiæ vina præbeat &c. *Conf. l. 29. C. ad l. Jul. de adult.* (ob quam immerito a multis male audit Constantinus, quasi ibi legem tulerit moribus Christianorum adversantem. *Vide Tesmari dissert. acad. 6. & 11. adde Levit. XIX. v. 20.*) Uno verbo, supremus iudex nulli in materia testium certæ regulæ adstrictus est, sed prout res & æquitas postulat, ipse determinabit.

§. 55. Sed si nulla regula specialis esset officium iudicis informans, forte illa esset: Artifici in sua arte credendum esse. *le. Artifici in sua arte credendum esse.* Ego puto, nullam minus esse regulam quam hanc. H. e. hanc assertionem vel in universum falsam esse, vel certe infinitis exceptionibus esse obnoxiam, adeoque ineptam esse, ut regula nominetur. Falsissima est assertio, quatenus adhibetur in rebus philosophicis, h. e. iis intellectualibus omnibus, quæ non sunt facti, *vid. cap. 1. §. 35. & 42.* tunc enim æquiparanda est isti pseudo-canoni, id pro verisimili habendum esse, quod ita videretur sapientioribus, de quo jam actum *d. cap. 1. §. 50.* Et sic nihil aliud est, quam credulitas ex præiudicio autoritatis orta. Graviter hunc

hunc errorem ad hominem disputans Arnobius Gentilibus objicit, *adversus Gentes lib. 2. p. m. 47. seq.* *Quid illa de rebus ab humana cognitione sepositis, quæ conscribitis ipsi, quæ lectitatis, oculata vidistis inspectione, & manibus tractata tenuistis? Nonne vestrum quicumque est, huic vel illic credit auctoribus? non quod sibi persuaserit, quis verum dici ab altero velut quadam fidei adstipulatione tutatur? Qui cunctorum originem esse dicit ignem aut aquam, non Thaleti aut Heraclito credit? qui causam in numeris ponit, non Pythagoræ Samio, non Architeæ? qui animam dividit, & incorporales constituit formas, non Platoni Socratico? qui quintum elementum principalibus applicat causis, non Aristoteli Peripateticorum patri? qui ignem minatur mundo, & venerit cum tempus, arsurum, non Panætio, Chryssippo, Zenoni? qui individuus corporibus mundos semper fabricatur & destruit, non Epicuro, Democrito, Metrodoro? qui nihil ab homine comprehendit, atque omnia cæcis obscuritatibus involuta, non Arcesilæ, Carendi? non alicui denique Academiæ veteris recentiorisque cultori? Ipsi denique Principes & prædictarum patres sectarum, nonne ipsa ea quæ dicunt, sine creditis suspicionibus dicunt? Vidit enim Heraclius res ignium conversionibus fieri? concretionem aquarum Thales? Pythagoras numeros ire? incorporales formas Plato? individuorum Democritus concursiones? aut illi, qui autumant, nihil posse omnino comprehendere, an sit verum, quod dicunt, sciunt? aut ipsum, quod definiunt, veritatis esse intelligunt pronunciatum? Sed quid hæc omnia ad nos? Multum utique pertinent, nam illa pseudo-regula: Artifici in sua arte credendum est, & in toto mundo Christiano regnat. Loco Thaletis, Heracliti &c. substituit Thomam, Scotum, Cartesium, Gassendum, &c. vel Athanasium, Augustinum, Calvinum, Bezam, Melancthonem, Lutherum, Jacobum Andreæ &c. & mutatis reliquis mutandis firmiter puta Athenagoram nostræ stultitiæ ista scripsisse, & verbis sequentibus singulos sectatores, persequentes aut hæretificantes eos, qui dissentiunt, increpasse; Cum igitur comperti nihil habeatis & cogniti, omniaque illa, quæ scribitis, & librorum comprehenditis millibus credulitate asseveretis duce, quanam hæc est judicatio tam injusta, ut nostram derideatis (calumniemini) fidem, quam vos habere conspicitis nostra incredulitate commu-*

commu-

communem. Sed sapientibus vos Viris, omnibusque instructis disciplinarum generibus creditis? nempe illis qui nihil sciscunt, nec pronunciant unum: qui pro suis sententiis bellacum adversantibus conferunt, & perveraciam semper digladiantur hostili: qui dum alter alterius labefaciunt, destruunt, convelluntque decreta, cuncta incerta fecerunt, nec posse aliquid sciri ex ipsa dissensione monstrarunt. En vivis coloribus depictum statum fidei nostræ philosophicæ, irrationalis illius, pythagoricæ, carbonariæ & ex regula illa deductæ: artificii in sua arte credendum est: quæ & diligentissime inculcatur in tota præfatione Formulæ concordiæ.

§. 56. Sed nec in quæstionibus facti sive pure historicis, *An obtineat* sive judicialibus assertio de fide artificii tribuenda, habenda erit *in quæstionibus facti?* pro regula. Nam initio hæc regula alia regula opus habebit, ex qua dijudicetur, utrum hic, qui testimonium de arte dicit, sit artifex. Multi Doctores sunt, pauci docti. Multi in vita civili pro artificibus habentur & magistris, qui in arte tamen vix sunt tyrones. Deinde esto: Hic est genuinus artifex, bene intelligit, de quibus testatur, quæstio est, utrum velit vere testari? Cur vero nolle? quia interesse habet. Taxat artifex rem artificialem. Testatur officialis de re coram se gesta. Carius taxabit artifex, si putat, quærentem similem rem ab ipso emere velle, vilius, si credit rem vendi debere. Testabitur officialis, prout expediet conservandi suæ autoritati, aut consequendo dono promisso. Væ ergo summo judici regulam in fide juridica sibi præscribenti: Artificii in sua arte credendum esse. Væ ipsi, si credat Bartolo apud Dn. Eisenhart. de fide historica cap. 10. §. 8. puranti, artificum dicta non adhiberi ad testificandum proprie, sed ad iudicandum secundum peritiam artis. Pretia rerum, gesta coram quocunque officiali, attestata de proprietate v. gr. ædium, de agrimensione &c. res facti sunt, & verum adeo testimonium artificum. Imo si non esset, sed iudicium philosophicum forte in mente habuit Bartolus, non attendere deberet iudex ejusmodi attestata per dicta §. præced. Et falsum adeo erit dictatum doctorum indiscrete spectatum apud eundem Dn. Eisenhartum d. l. §. 9. plenam fidem facere scripturam officialis & personæ publicæ

publicæ authentico sigillo munitam, si doceri non possit, sigillum non esse adulterinum &c. Nam fidem quidem faciet sigillum, quod officialis ista scripserit. Utrum vera scripserit, sigillum nunquam probabit, quamvis ex illa falsa opinione Doctorum forte provenerit commune proverbium nostratum: *ja wenn ein Brief und Siegel darbey stünde.*

Judici inferiori in plerisque libertatem judicandi de fide in jure Romano relinquere,

§. 57. Hactenus de Principe. Judicem inferiorem quod attinet, in plerisque libertas eidem relinquenda, ut regulis certis fidei adstrictus non sit. Sed nonne reclamationem praxis? Nonne reclamationem tot integra volumina Mascardi de probationibus? nonne reclamationem allegationes quotidianæ advocatorum in positionibus? Nonne reclamationem denique; omnes pene judices regulas istas, ut capistra sequentes? Sit ita, modo non reclamationem ratio, & rationem hac parte secutum Jus Justinianum, quod utinam a nobis hac parte in observantiam esset introductum. Ergo age, terreamus turbam Pragmaticorum nube legum. Ita quidem est, & Modestinus & Callistratus *l. 2. §. 3. pr. de testibus* dicunt, *examinandam esse in testimoniis dignitatem, fidem, morem, gravitatem, divitias, inimicitiam &c.* addit etiam Modestinus, *testes adversus fidem suam testationis vacillantes, audiendos non esse;* & Callistratus, *si careat suspitione testimonium vel propter personas vel propter causam, admittendum esse;* in eo tamen decepti sunt Pragmatici, quod putarunt, Jctos hic voluisse regulas de fide judicum præscribere, cum sint saltem admonitiones & observationes de cavendo seu cautela. Non observarunt Pragmatici, aut observare noluerunt, quæ Callistratus statim *d. l. 3. §. 1. 2. & 4.* ex rescriptis Imperatoris Hadriani notavit; *judicem magis scire posse (quam ut regulæ ei a principe præscribantur) quando fides habenda sit testibus, qui & cujus dignitatis & cujus estimationis sint: & qui simpliciter visi sint dicere, utrum unum eundemque meditatam sermonem arulerint, an ad interrogata ex tempore verisimilia responderint.* Item: *que argumenta ad quem modum probanda cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri posse: sicut non semper, ita sæpe sine publicis monumentis cujusque rei veritatem deprehendi; alias numerum testium alias dignitatem & auctoritatem alias velut conscientem famam confir-*
mare

in re rei, de qua queritur, fidem; Ergo judicem non ad unam probationis speciem (per regulas) alligari debere, sed ex sententia animi sui ipsum astimare oportere, quid aut credat, aut parum probatum esse opinetur. Notat & Arcadius Jctus l. 1. §. 2. ff. cod. constitutionibus Principum arbitrio judicis esse relictum, ut eum tantum numerata testium evocari paterentur, quem necessarium esse putaverint, ut effrenata potestate ad vexandos homines superflua multitudo protrahatur. Notat Papinianus l. 13. eod. calumnia damnatos etsi legibus non sint intestabiles, tamen id quod legibus omissum sit, non omittendum esse religione judicantium, ad quorum officium spectet, ejus quoque testimoniis fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere. Notat Ulpianus l. 1. §. 23. 24. 25. Questioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam. Etenim rem esse fragilem & periculosam. Nam plerosque patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnere, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alios tanta esse impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tormenta velint. Præterea inimicorum questioni fidem haberi non debere, quia facile mentiantur, nec tamen sub prætextu inimiciarum detrahendam esse fidem questioni. Adeoque causa cognita (i. e. probe secundum circumstantias confiderata) judici pro libero ejus arbitrio fidem habendam, aut non habendam esse. Et exinde infert §. 26. d. l. 1. fidem etiam quandoque latronibus in eos, qui eos tradiderunt, habendam esse. Conf. l. 8. l. 9. pr. l. 10. §. 5. eod. Admittebatur etiam olim ex arbitrio judicis unus testis, arg. l. 12. ff. de testibus l. 9. §. 1. C. eod.

§. 58. Quamvis vero una cum autoritate juris simul & rationes hinc inde in ipsis legibus fuerint allatae, cur nec populus Romanus, nec Imperatores putaverint judici de modo fidei habendæ regulas præscribi debere, & idem vel maxime ex deductis cap. 1. appareat, non tamen possum omittere, quæ eam in rem graviter Cicero differit in Orat. pro M. Fonteio. Si hæc iudices præscriptum lege aut officio putatis, testibus credere, nihil est, cur alius alio iudice melior aut sapientior existimetur. Unum est enim & simplex aurium iudicium, & promiscue & communiter stultis ac sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, ubi elucere possit prudentia? ubi discerni solus auditor & credulus ab religioso & sapienti iudice? nimirum illud

Quod ulterius ex Cicero ne illustratur.

illud, in quo ea, quae dicuntur a testibus conjectura & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi equitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonae quanta cura, quanto timore dicantur. Et paulo post: Fuit iudicibus divinum ac singulare consilium, qui se non solum de re, sed etiam de accusatore, de teste judicare arbitrabantur, quid fictum, quid a fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe aut metu depravatum, quid a fortuna ac tempore allatum, quid a cupiditate aliqua aut inimicitia profectum videretur. Quae si iudex non amplectitur omnia consilio: non animo ac mente circumspiciet: si, ut quidque ex illo loco diceretur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur: profecto satis erit id, quod dixi antea, non surdum iudicem huic muneri atque officio praesse. Nihil erit, quamobrem ille nescio quis sapiens homo ac multarum rerum peritus ad res iudicandas requiratur. Erat adeo tum temporis argumentorum artificialium seu colorum usus maximus, & certe longe major ac hodie, ubi iudex dictis testium fere uti glebae adscriptus haeret, quod non solum Demosthenis, Ciceronis aliorumque Rhetorum orationes, sed & Senecae & Quintiliani declamationes, atque ejusdem Quintiliani institutiones oratoriae tantum non ubique loquuntur. Quare & in eadem oratione pro Fontejo Cicero urget, adversarium simpliciter testibus Fontejo inimicis inniti, nihil ei in duabus actionibus obiectum esse, quo significari vestigium libidinis, petulantiae, crudelitatis audaciae possit, non modo nullum facinus ejus fuisse prolatum, sed ne dictum quidem aliquod adversarios reprehendisse.

Libertas Ju- §. 59. Quamvis vero ex legibus Romanis modo allatis apud iudicis laxior pareat, adhuc Imperatorum Ethnicorum tempore iudicis officium circa fidem probationum satis laxam fuisse, nullum tamen libere quam est dubium, quin idem tempore reipublicae liberae adhuc laxius sub Imperatoribus fuerit. Refert Gellius Noct. Att. lib. 14. cap. 2. ex M. Catone, iudicibus: Ju- esse a majoribus observatum, ut si quod inter duos actum est, neque dex in re du- tabulis neque testibus planum fieri posset, tum apud iudicem, qui de ea bia sententi- recognosceret, uter ex iis vir melior esset, quaereretur. Unde Cato am suspende- intulit, si reus esset homo suspectae fidei, etiam actore non re poterat. probante reum debere condemnari. Sed Gellius tamen, Favo-

Favorino licet suadente, ut simile quid tentaret in causa simili, sub Imperatoribus facere noluit. *vid. l. 10. ff. & C. de testibus.* Juravit tamen sibi non liquere, ne scilicet reum abolveret, & actorem sic calumniæ damnaret. Hinc patet, licuisse judici etiam sub Imperatoribus sub juramento abstinere a dictione sententiæ definitivæ, quem morem ex Cicerone & Valerio Maximo, latius probat Phil. Caroli *in animadvers. ad d. l. Gellii*, ejusque fragmentum adhuc extat in *l. 36. ff. de re judic.*

§. 60. Non tamen omnino libera judicis potestas, sed quibusdam regulis adstricta erat, non tam quando fides habenda esset, quam quibus non esset. Non admittebantur enim nec interrogabantur, quibus interdicebatur testimonium *l. 1. §. 1. de testibus*, scil. impuberes, judicio publico damnati, qui in vinculis custodiaque publica sunt, qui se locaverit, ut ad bestias pugnaret, quæ palam quæstum fecit, qui pecuniam accepit de testimonio dicendo vel non dicendo, quique testimonium jam in eundem reum dixerat, item testes accusatori domestici &c. *l. 3. §. 5. l. 15. l. 23. ff. de testibus, l. 1. §. 3. ff. de quest.* (Nam quod nemo testis esse possit in propria causa, *d. l. 10. ff. & C. de test.* magis ex natura judicialis negotii est, quam ex dispositione legis civilis.) In his ergo differt fides juridica ab historica. In hac enim testes tales non semper & ubique rejiciuntur, sed ex aliis causis cognoscitur, utrum verisimilia dixerint nec ne. Præprimis cum & testes ejusmodi quandoque in judiciismitterentur, & ea cautio tum judicibus præscriberetur. *l. 1. C. de questionibus.*

§. 61. Sub imperatoribus Christianis illud videtur originem sumxisse, ut testibus non juratis non crederetur. Nam Constantinus M. primus id constituisse legitur, *l. 9. pr. C. de testibus*. Eadem lege §. 1. etiam primus constituisse videtur, ut uni testi non credatur, quamvis id displiciat Jacobo Gothofredo ad *l. 3. Cod. Theod. de fide test. & instr.* sed absque sufficientibus rationibus. Videtur & de primo dubitare, & malle, ut Constantinus dicatur id saltem primus jussisse, ut testes ante testimonia jurent. Mihi vero videtur constituisse utrumque. Etsi enim Cicero *pro Fontejo & passim* juramenti testium, & formulæ jurandi,

Restriçtio fidei judicialis ut quidam testes fidem non facerent.

Ulterior restrictio, ne uni testi, neve testibus injuratis credatur.

randi, (*conf. Hotom. ad d. orat. pro. Fontejo p. m. 474.*) mentionem faciat, tamen istud juramentum testium olim magis consuetudinis quam necessitatis, & forte solum in causis criminalibus fuisse videtur, quia iudices id remittere poterant. *Vid. Valer. Max. l. 2. c. ult. exempl. ult. ibiq; Thys. in notis.* Ex quo loco Valerii etiam illud patet, olim testes post dicta testimonia juramenta præstitisse. *Conf. Cicero, lib. 1. ad Attic. Epist. 16.* Forte huc pertinet etiam, quod Cicero *in orat. pro Fontejo* meminit, *L. Crassi tantam fuisse autoritatem, ut ejus sermo etiam testimonii autoritatem habuerit.* Sed nec lege divina unquam constitutum legimus, ut testes jurent. *vid. Deut. XIX. v. 15. & seq. & Histor. Susanna.* Scilicet arcebat Judæos a falso testimonio etiam injurato gravis pœna in falsos testes statuta, *vid. Deut. XIX. v. 19. 20.* Romanos vero, quod legibus XII. Tab. caveretur, ut falsus testis de saxo Tarpejo de-
 jiceretur. *vid. Rittersb. ad LL. XII. Tab. class. 2. cap. 6. p. 50.* Gravissime Gellius *Noct. Attic. l. 20. c. 1.* An putas Phaverine, si nunc illa etiam legis XII. Tab. de testimoniis falsis pœna obsolevisset, & se nunc quoque, ut antea, qui falsum testimonium dixisse convictus esset, e saxo Tarpejo deiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos, quam videmus? Hæc omnia vero, in quibus fides juridica a fide historica iterum differt, si quis ad fidem historicam applicare & ibi testes minimum duos juratos postulare vellet, annon ineptiret?

*Restriccio si-
 dei iudicioris
 per jus Ca-
 nonicum.* §. 62. Et hæc quidem jure Romano. At jure Canonico, quod totum in praxin deductum est, quodque moribus Germaniæ magis observari, quam jus Romanum, ex rationibus infinitis, hic tamen non expediendis persuasi sumus, alix adhuc differentix inter fidem historicam & juridicam introductæ sunt. Et si enim & hic non omne arbitrium iudici fuerit ademptum, *vid. Lancellot. Instit. Jur. Canon. lib. 3. tit. 14. §. 8. 25. & ult.* attamen non solum inhabilitas testium latius fuit extensa, v. g. ut nullus infidelis, nec Judæus, nec paganus, nec hæreticus contra Christianum deponens admittatur, *Lancellot. d. l. 15. ibique Zieglerus,* sed & regula juris civilis de uno teste non admittendo limitationem recepit, ut pro diversitate circumstantiarum modo

do juramentum suppletorium, modo purgatorium adhibeatur, & ita tres probationum species juri Romano incognitæ, plena, semiplena, & minus semiplena, in forum illatæ sunt. *Lancellot. d. tit. §. 8. 33. 34. 35. 36. & Lib. 4. tit. 2.* quæ quamvis analogiam quandam habeant cum tribus verisimilitudinis gradibus cap. I. expositis, cum illis tamen nequaquam sunt confundendæ. Neque enim in fide historica non judiciali locum habet ullum juramentum sive suppletorium sive purgatorium &c.

§. 63. Cum vero eodem Jure Canonico & processus inquisitorius introduceretur, quem regulariter etiam ignorabat jus Romanum, de tortura vero & indiciis tam inquisitionis quam torturæ parum disponderet, multæ novæ regulæ non solum negativæ, quando judex non credere, sed & affirmativæ, quando judex fidem habere debeat, de fama, de corpore delicti, aliæque tam generales, quam speciales, tam quoad fundandam inquisitionem, quam quoad torturam & sententiam judici sunt præscriptæ, ad quas judex fere est adstrictus. Etsi enim jubeatur subinde in rebus dubiis a prudentibus h. e. Collegiis Jctorum informationem petere, hoc ipsum tamen suspectum indicium est, quod imprudentes permittantur esse judices, & ipsa quoque Collegia juridica fere sunt alligata regulis in ipsa Constitutione præscriptis; certe illud v. gr. miserum est, quod cogantur in causa vitam hominis respiciente testimoniis, non ipsis testibus credere, quod absolum esse & ratio & grave dictum Hadriani supra recensita probant. Et quis omnes navos, quos Jurisprudentia nostra per multiplicationem regularum de fide habenda nacta est, recensere vellet? Requirit ea res integrum Volumen, & a scopo nostro plane aliena est. Id tamen in summa certum, Jurisprudentiam Germanicam, etsi nomine Christianam, hac parte prudentia longe vincit a Jurisprudentia Romana, & si Ethnica.

§. 64. Uti vero hoc ipso simul fontes vides, cur Pragmatici ad navos illos curandos, tot regulas de fide judiciali, tot volumina conscribiverint, & inaususto hoc remedio tanquam oleo ignem extinguere volentes, morbum graviolem reddiderint; ciali non ita

*lustratur in-
tellectus ju-
dicialis. Cause
determinata-
rum regula-
rum in fide
judiciali.*

ita jam facile colligere poteris ex hactenus narratis differentias fidei judicialis, a fide historica strictè dicta, & causas simul cognosces, cur in fide historica regulæ nullæ determinatæ sint, in fide autem judiciali talis determinatio in pluribus facta fuerit. Scilicet quædam determinatio facta fuit ob naturam judiciorum, ut illa quod non admittendum sit testimonium in causa propria, quia judex neutri parti debet favere, & quia in dubio & contradictione duarum partium probatio aliunde quam ex assertione partium desumenda est. Quædam facta fuit in pœnam delinquentium, ut nota infamiæ coerceantur illi, qui sic fiunt intestabiles. Quædam facta fuit ad imitationem juris Mosaici, ut illa quæ jubet, uni testi non credi. Quædam facta fuit in favorem Cleri, ut ille occasionem nancisceretur se immiscendi negotiis secularibus, ut illæ fere omnes, quæ de juramentis testium, suppletorio item & purgatorio juramento disponunt, præprimis dum ex falsæ philosophiæ principiis simul credulitas introducta est, quasi juramentum sit species cultus religiosi, & quasi in clausula juratoria aliquid Deo promitteretur. Quædam facta fuit ex bona quidem intentione, sed quæ jam nævum insignem judicium prudentia politica destitutorum supponit, & quæ tamen malo non prodest, sed potius illud auget, quales sunt pleræque regulæ in processu inquisitorio per constitutionem criminalem præscriptæ, ac a pragmaticis in integris voluminibus traditæ. Possent etiam in universum (ratione scilicet intentionis) duæ rationes afferri, quæ differentiam inter fidem judicialem & historicam strictè dictam magis illustrent. Scilicet in fide historica cuilibet relinquitur liberum judicium credendi quod velit, & etiam judicium suum suspendendi. At in fide judiciali, hodie certe, judices, qui ipsi pronunciant & collegia juridica determinare debent sententiam definitivam, nec amplius ipsis licitum est, respondere ut olim, sibi non liquere. Quoniam vero ulterius simul interesse vertitur omnium civium, in causis, ubi publica utilitas & ex altera parte vita hominis aut magna pars bonorum in periculo versatur, non putarunt Legislatores permittendum esse judici-
bus,

bus, præprimis prudentia philosophica & politica destitutis, ut decisionem negotii æquitati eorum cerebrinæ relinquerent, nullis regulis adstrictæ. Quæ omnia rursus non timenda sunt in fide historica, quale iudicium lectores de homine aliquo forment. Præprimis cum & in vita civili & sociali intuitu forte amicitia formandæ non tam spectare debeamus, qualis quis antea fuerit, (cujus inquisitio a fide historica dependet,) sed qualis jam sit, & sapissime quis fidem de actionibus præteritis ejus præconceptam refutare possit præsentis proba. Hinc in fide juridica plures adduntur cautiones juramentorum, iudiciorum, corporis delicti &c. quibus omnibus ob dicta non opus habet fides historica. Nec etiam historicus aut lector ob deficientem autoritatem judiciale[m] eas adhibere posset.

§. 65. Nova autem exinde oritur differentia quoad effectum inter fidem judiciale[m] & historicam, quod sæpe in uno eodemque facto discrepet fides juridica a fide historica, non solum si opinionem iudicis & reliqui populi diversam spectes, sed & in iudice ipso diversam ejus considerationem fecernas. Aliter enim credere potest vel debet, ut iudex, aliter ut homo ratione sua præditus. Ita v. gr. quoad prius Cicero in orat. pro Fontejo, publice coram populo asserere ausus est: *Publium Rutilium quidem damnatum esse a iudicibus, Ciceroni tamen eum videri inter viros optimos & innocentissimos esse numerandum.* Ita quoad posterius sæpe accidit, ut iudex tanquam iudex & fide juridica cogatur absolvere reum, qui juramento se purgavit, cum tamen gravissimæ rationes adsint, fide historica habendi hunc reum pro vere nocente &c.

§. 66. Quodsi quis dicta hætenus accuratius mente perpendat, patebit, sapius ex confusione hucusque communi fidei juridicæ cum historica & ex nimia fiducia regularum juridicarum hætenus multam occasionem datam esse, ut tum iudices, tum historici ipsi insignes errores committere sint soliti. Ita sæpe accidit, ut in collegiis juridicis vel alias etiam contra leges ex æquitate aliqua cerebrina, quasi sermo esset de fide historica, sub prætextu, quod lex præscripta sit injusta, vel ad fidem

Sæpe contrariam esse fidem historicam, quam fidei juridicæ.


Errores ex confusione utriusque fidei a iudicibus sæpè commissi.

fidem judici faciendam insufficiens pronuncietur. Alii contra iudices stricte nimis legum verbis & cortici adhærent, non reputantes, quod iudex præter regulas determinatas debeat instructus esse prudentia fidei historice, quia sæpissime in iudicii ejusmodi casus occurrunt, qui regulis judicialibus non sunt determinatæ. Maxime autem ea prudentia opus foret in causis criminalibus, ubi nimis frequens ignorantia iudicum regulis juridicis in toto processu, & vel maxime in formandis articulis & sententiis, irrationabiliter inhærentium, in causa est, aut occasionem dat, ut condemnetur innocens, & absolvatur nocens, &c.


*Item & ab
historicis.*

§. 67. Similiter dum historici de fide historica inter se disceptant, sæpissime absque iudicio & impertinenter allegant regulas ad fidem juridicam pertinentes, v. gr. historico de se ipso quid narranti, non esse credendum, tanquam testi in propria causa, perjuro homini nihil credendum, non credi testi injurato, non adesse duos testes omni exceptione majores &c. Ita si quis v. gr. Hutteri Concordiam concordem legat, in singulis fere paginis ejusmodi insignes errores deprehendet, Conf. & refutationem historie Peucerianæ apud Dedekennum &c. Sed hæc omnia distinctius ostendere aliorum curæ relinquimus. Nobis sufficiat, fontes & origines tam frequentium & communium errorum perspicue & distincte indicasse,









94 A 7373

ULB Halle 3
002 928 493



fu

Vol 10-3
Bsh kal





2. D. R. V. 15

DISSERTATIONEM
DE

FIDE JURIDICA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE, &c. &c. &c.

SUB PRÆSIDIO
DN. CHRISTIANI THOMASII, Jcti,
CONSILIAR. ELECT. BRANDENB.
ET PROF. PUBL.

publico eruditorum examini subjeicit

MATTHÆUS LUPIN,

Memminga-Suevus,

d. 2. Dec. Ann. MDCXCIX.

H. L. Q. C.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS VIDUÆ CHRISTOPHORI SALFELDII,
A. O. R. MDCCXIV.

Centimetres

Inches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.